1777
1520
207

DE NEPHRISIS ET LITHIASIS, SEV DE RENVM, ET VESICÆ CALCVLI definitione, causis, signis, prædictione, præcautione & curatione. Ex Hippocrate, Dioscoride, Galeno, Auicenna, Ætio, & Paulo Ægineta, aliisque celeberrimis medicis, collectis.

Per Ioannem Ferrandum seniorem medicum Pictauiensem.



PARISIIS,
Apud Michaëlem Sonnium, via Iacobæa, sub scuto Basiliensi.
1570.

Ioannes Ferrandus senior medicvs pictaviensis, Francisco Avberto æquiamantissimo Regio consiliario necnon Pictauiensi Præsidi prudentissimo, S.

TVA, (*tuorúmque studiorum & gestorum illustratio*) *vir spectatissime, me vocat, vt in tuæ valetudinis curationem incumbẽs, & præsertim Nephritici affectus, quo sæpius in hunc vsque diem, diuexari solitus es, adhibitis etiam in cõsilium, præclarissimis huiusce loci medicis, diligentiúsque ab Hippocrate, Dioscoride, Galeno, Auicenna, AEtio, & Paulo AEgineta, ex aliisque veterum & neotericorum medicorũ monumentis colligi possunt particulatim, in hoc libello describam, tibíque tanquam gratissimum munus offeram, vt in his collectaneis, furtiuisque nostris laboribus tanquã floribus, tibi conuenientissimis nõnunquam voluptue-*

ris, velutque in cæna lautissima, & cibis delicatissimis referta, viuas, téque ipsum delectes. Quod si gratum hoc nostrum munusculum habeas, maiore certè in posterum donaberis. In his autem colligendis & describendis veterum scriptis intelligas velim, nos primũ definitiones nephritici affectus persequi, tum causas eiusdem, & signa, quibus dictum affectum cognoscimus, & postremò præcautionẽ & curationem, non ex veterum modo medicorum scriptis, collect. sed etiam neotericorũ, veluti ex his ipsis, qui à multis annis in curatione nostrorum ægrorum obseruare potuimus. Interim bene vale, méque in obsequentissimum habeas.

DE NEPHRISIS ET LITHIASIS, SEV RENVM ET VESICÆ Calculi definitione.

Galenus li. finitionum aſcript.

NEPHRISIS, eſt Renum phlegmone, cum dolore vehementi, quãdoque vero, & vrinæ difficili tranſitu, in qua fibroſa quędam, vel arenoſa cum ſanguine modico excernunt.

Lithiaſis. i. calcularis morbus eſt calculi generatio in veſica, per quam vrinæ excretio prohibetur.

Gal. commento aphoriſ. 36. li. 7.

Quibus vrinis inſidet pingue velutique concretum innatat, his vitium Renum acutum ſignificatur.

Ioannes gorreus in li. λ. diffinitionum medic.

Νεφρίτις dici quidem poteſt omnis affectus quo νεφροί .i. renes laborant, ſiue is ſimilaris ſit, ſiue organicus, ſiue communis. Propriè tamen lithiaſis, eſt calculi morbus. Et nephritis à particula læſa nomen habet.

Lithiaſis, dicitur calculi generatio, In veſica quamuis etiam in Renibus creari poſſit. Nemo tamen lithian & lithiontas vſurpauit niſi de his quibus in veſica moleſtus eſt, Vrinæ ſuppreſſionibus veſicæ, & in ventris illius diſtentionibus, ardoribus vrinę & ſummis multis ardoribus. Dicitur tamen etiam, lithiaſis in oculis morbus exteriori palpebrarum parte.

Serapio & Anthonius gaynerius ca. 1. De calculoſa paſsione.

Lapis materialiter, nihil aliud eſt, quã arenularum coadunatio, & dehinc ipſarum adherentia, & tandem coadunatio ſeu coaceruatio.

De nephriſis & Lithiaſis, ſeu de Calculi Renum & veſicæ cauſis. Cap. 2.

Hippocrates in 6. li. Epidemorum & Galenus in commento primo.

Calculi in Renibus fiunt, assato atque arefacto in Renum cauitatibus, tum crasso tum vitioso humore in porosam Renum substantiam concreto, Et hoc tempore siue obstructio fuerit in ipsis, siue moderata phlegmone, grauitatis magis quam doloris sensus efficitur, quod Renes ipsi ita vt iecur, tenuissimis participent neruis.

Hippocrates De natura humana & Gal. in eundem.

Corpus quod adolescit augetur, atque ad vim progreditur, & ad violentiam incedit, calidum esse est necessum. Itaque multi pueri pręsertim qui admodum voraces sunt, plurimum cumulant succum (qui propriè crudus appellatur) à quo calculi facile generantur, Cum ea quidem materia, ex qua calculus generatur accedente calore tãquam effectrice causa. *De pueris.*

Hippocrates aphoris.26.li.3. & Gal. in eundem.

Calculus autem est morbus puerorum qui ob edacitatem, non paucos crudos humores coaceruant, quibus pars crassior vna cum vrinis ad vesicam per- *De pueris & senibus.*

ueniens, fit lapidum generationis materia. Accedit altera cauſa vehementia caliditatis. Et ſenes autem aceruãt quidem humorem crudum, non propter edacitatem vt pueri, ſed propter potentiæ con coquentis imbecillitatem, non tamen calorem fortem habent, qui ex materia craſſa vaporem reſoluens, lapidem generet.

Hippocrates de Internis affect.

Hic morbus fit à pituita quã Ren ſuſcipit in ſe ipſum, nec rurſus dimittit. Sed cum in ipſo, in tophum concalluerit, fiunt ex ea tenues lapilli velut arena.

Hippocrates de AEre, aquis, & locis.

Fit etiam pueris ex lactis nimio vſu calculus. Pręſertim ſi non ſalubre id fuerit, ſed valdè calidum & bilioſum, ventremque percalfaciens & veſicam. Quare dum vrina aduritur, calculi affectus. Et ſanè cenſeo melius eſſe, pueris vinum quam aquoſiſſimum dare, minus enim venas adurit & reſiccat. Muliebribus enim pudendis non ſimiliter contingit.

Pueris vinum miniſtrãdũ.

Hippocr. li. 4. De morbis.

De pueris.

Cæterum calculi morbi principium, à lacte oboritur, vbi puer lac impurum

fugit. Lac autem in nutrice impurũ fit, si pituitosis cibis ac potibus & alimẽtis impuris vtatur. Si verò nutrix, non sana fuerit, sed biliosa aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum puero generatur. Sic profectò pituita in vesica dũ est veluti fex, glutinum fit, Fex autẽ subsidet ac densatur, & solida fit velut ferrũ. Rursum solida facta, sursum deorsum volutatur, & feriens vesicam dolorem inducit, etsi vehementer feriat, ac vlceret aliquid de ipsa aufertur. Verum id quod insuper affertur adhuc magis, quam id quod arenosum decessit, concretionem efficit, atque tali modo fit lapis pueris, de lacte in vesica. Etsi puero anxietas aliqua ab hoc oboriatur, alias atq; alias vbi merere vult, vrinę meatum apprehẽdit: At si puero iã adulto lapis gignatur dolor non adest ipsi, priusquam sibi cibum deligat.

Hippo. aphoris. 31. li. 3.

Senibus Renum passiones. Galenus in commento dicti Aphorismi. Adhæc cum vires sunt imbecillæ, Renes sępius obstruuntur, & lapides in his generantur quando tenax, vel crassa superfluitas, ibi

De senibus.

firmata tophoſam ſubſtantiam aſſumit. Siçque ex pituita generantur lapilli.

Hippocrat. De natura hominis.

Quibuſcũque verò eadem ſeroſi humoris ſpecies in veſicam proruperit, à loci caliditate, calida & alba fit, & ſegregatur, & quod quidem clariſſimum eſt ſuperſtat, craſſiſſimũ verò infra mergitur, quod ſanè pus appellatur. Fiunt autem calculi pueris quidem propter loci caliditatem, Itemque totius corporis, Viris autem generantur calculi, propter corporis frigiditatem. Nam id noſcere probe oportet, quod homo primis ſuis diebus, calidiſſimus eſt, ſui reſpectu, vltimis frigidiſſimus.

Hippocrat. in ſexto Epidemorum.

Poſt mictum concretio puris, namque calidiores. Galenus in commento dicti textus. Calculos pueris in veſica procreari dicit, ob vrinæ craſsitudinem, porrò vrinas craſsiſſimas à pueris reddi, & ab omnibus ante nos medicis conceſſum eſt. Igitur vrinarum craſsitudo, creandorum calculorum, prima potiſsimáque cauſa eſt.

Hippocrates De AEre aquis & locis.

Quod craſsiſsimum ac turbidiſsimũ coaceruatur,cõcreſcit, primum quidem parum, deinde maius fit, dum eam voluitur ab vrina quicquid craſſum compactumque fuerit, ad ſe ipſum adaptat, atque ſic augeſcit, & cum vrinam emittit, ad veſicę ſtomachum allabitur, ab vrina impulſum, & vrinæ emiſsioné impedit, & dolorem vehementem exhibet.

Galenus li.4.methodi medendi.

Qui in Renibus & veſica inueniuntur calculi,eſt communis ſubſtantiæ generatio quæ ante non fuit.

Idem in eodem li.14.

Si quidem humor vnde huiuſmodi vitium oritur,aut glutinoſus,aut craſſus, aut vtriuſque rationis particeps. Ad eundem modũ & calculi generantur in Renibus, aſſo ſcilicet in his craſſo & glutinoſo ſucco.

Idem in eodem li.14.

Quę ſuccum craſſum gignunt ſolent obſtruere ſi quis his liberalius vtatur,incidit tamẽ ex tali victu diutius exhibito, etiã calculi in Renibus generatio,Quod vitium cur non omnibus contingit,ſatis patet. Quippe incredibile non eſt, qui-

buſdam, vel denſos admodum eſſe Renes, vel perangusta venarum in iocinore ora, quibuſdam contra eſſe habita, horũ dignotio nulla planè certa eſt. Sed percunctandum aſsiduè, ab eo qui iam dicto modo eſt cibatus, num quis grauitatis ſenſus in dextris precordiis, & circa Renes ſit. Quod ſi quid tale aliquando ſenſerit protinus, cappari ex oximelite, in principio cibationis donec conſtiterit grauitas, dabitur.

Capparis ex oximelite.

Gal. in li. de Cura lapidum.

Ea verò ex quibus generantur calculi ſunt, permiſtio in cibo, & intromiſsio cibi ſuper reſiduum cibi & labor poſt comeſtionem.

Gal. De ſuccorum bonitate & vitio.

Maximè autem ad ſucci mali, morborumque generationem, facit cruditas aſsidua, ſiue ea boni, ſiue mali ſucci cibos ſequitur. Liquet tamen deteriorem eſſe in mali ſucci cibis, qui cum bipartiti ſint, in his qui ſuccum gignunt tenuem, morbi fiũt acuti. In his verò qui craſſum ſuccum coaceruant, articulares morbi, podagræ, nephritideſque fiunt.

Gal. de facult. aliment.

Calculos ſolent gignere, edulia craſſa craſsi ſucci, maximè cum homines calidiores plus iuſto fuerint, ſiue ob naturalem intemperiem, ſiue ob alium quendã affectum ipſis poſtea innatum, non tamen pro caloris modo, meatuum tranſitus latos habeant.

Gal. in eodem.

Igitur cibi ij omnes boni ſunt ſucci & multi alimenti, ita eos qui ipſis aſsiduè vtuntur, lædũt, obſtructiones in hepate parientes, & in renibus, calculũ gignantes.

Gal. li. 3. de aliment. facult.

Vbi ſuccorum craſsities, cum ardenti calore iungitur, calculi generantur.

Gal. li. 1. de locorum affect. notitia.

Obſtruitur meatus, vel à lapide, vel grumo, vel craſſo lentóque humore, igitur hæc omnia diſtinguere oportet, non ſolum ex præſentibus accidentibus, ſed etiam ex iis quæ præterierunt.

Gal. de compoſit. medic. ſecundum genera.

Nam quemadmodum in externis rebus, permulta corpora, quæ ignem contingunt, ab ipſo torrẽtur, atque rurſus ab aqua emolliuntur. Ita in particulis inflã-

matis ex humore ipſo à calfaciẽtibus & exiccantibus acerrimè deſiccato, relinquitur quidpiã craſſum & viſcidum, nimirum omni tenui diſcuſſo, atque hac ſanè ratione, in morbis articularibus pori gignuntur, nec ſecus per nephritidas calculi.

Gal. de Renum affect.

Satietates & cruditates, hunc morbũ non ſolum exacerbant, ſed etiam pariũt vbi nullus erat. Quapropter nihil feruẽs eſt ingerendum, quod renes & veſicam poſſit calfacere.

Gal. de Aliment. facult. li. 3. ca. 17.

Caſei, maior enim noxa, ex ſucci ipſius prauitate & calore ardẽti accidit, quam craſſorũ tenuatio conferre queat, quando ad calculorum hic ſuccus non nimis eſt noxius. Oſtendimus enim calculos in illis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſſities cum ardenti calore eſt coniuncta, fugiendus eſt igitur caſeus.

Gal. li. 5. De ſanitate tuenda.

Calculos in calidioribus generant, cibi craſsi ſucci.

Gal. de Aliment. facultatibus.

Cæterum edulium, quod ex multa tri-

ticea farina lacti miſta cõſtat, ſcito ex iis eſſe quę intus obſtruunt, Cum enim humor crudus lentorem aſſumpſit, & tranſitus per renes quibuſdã ſunt natura anguſti, ibi quod craſſiſſimum eſt, ac maximè lentum, diutius moratum, πῶρον. i. tophum promptè gignit, confert tamen id maximè ipſorum temperamentũ, quãdo ipſorũ calor acris fuerit, & veluti igneus.

Auicenna li.3. fen.18. tract.2. ca.18.

Lapidis generatio non compleretur, niſi ex materia patiente, & virtute agente, Materia eſt humiditas craſſa, viſcoſa, phlegmatis, aut ſaniei, aut ſanguinis aggregati in apoſtemate, & hoc eſt rarò.

Ferrandus. 2. Iunij. 1567. illuſtriſſimus vir Carolus Tiercelin dominus à Rupe cenomana maioris ordinis Regij eques, Cum diem extremum obiiſſet, corpore eius diſſecto, in ſcapula ſiniſtra, tumorẽ inſignẽ habere repertus eſt partibus internis, qui nouacula apertus, lapidẽ quadratum duriſsimúmque continebat, qui à ſanguine coagulato ex lanceæ ictu genitus fuit, Chirurgus qui ſecuit dictum virum vocatur vulgò le nauré, apud pictauos chirurgiam faciens. Dictus

dominus erat annorum 86.natus.

Auicenna in eodem capite.

Cingere vel ſtringere dorſum cũ cingulo in quo eſt moneta abſcõſa, facit incurrere apoſtemata & lapides.

AEtius tetrabibli 3. ſer.3.

Cauſæ autem generationis calculorũ ſunt aſsiduæ cruditates, vnde materiæ incoctæ & crudæ multitudo congregatur & ardor circa renes & veſicam exoritur, qui humores adaſſans eos cogit: & in lapidem indurat admodum tophorũ, qui in aquis reperiuntur, quæ in ęris balneorum vaſis coquuntur. Conſiſtunt autem lapides in renibus, iuxta ventriculos ipſorũ, aut parui, aut maiores, & aliquando quidem pauciores, nonnunquam autem plures, & magnitudine, & forma, & colore, & aſperitate, & multitudine inter ſe differentes.

Paulus AEgineta li.3.

Materiata quidem gignendis calculis: craſſus & terreſtris humor habetur, Effectrix verò, flagrans renum aut veſicæ ardor.

Anthonius guaynerius in ſua praxi.

Duæ cauſæ generationis lapidis ſunt, vna

vna ex agentis parte ſe tenet, vt eſt caliditas exceſſiua, quanuis etiam frigiditas exceſſiua, ad lapidis generationem effectiue concurrere poſſit. Altera, ex parte materiæ, quam viſcoſam eſſe neceſſe eſt in veſica, quanuis membrum de ſe frigidum ſit & exangue, tamē materia ibi retenta, ſi non à proprio, à circunſtantium ſaltem calore membrorum, & præcipuè ſtomachi & hepatis.

Idem in eodem.

Retentionis triplex aſſignatur cauſa, materiæ viſcoſitas, viarum oppilatio ſeu ſtrictura, & expulſiue debilitas, & hæc vltima per exceſſiuam caliditatem, plurimū adiuuatur. In prima calculoſæ paſſionis cauſæ ſunt omnia illa quæ renum ſeu vrinæ viarū, calorem ſuperincendere queunt, meatúſque illos anguſtare. Quæ ad materiam multiplicandam iuuant, quandoque extrinſece, quādoque intrinſece. Extrinſece, exceſsiua aëris caliditas & ſiccitas, balnea calida & ſicca, tam naturalia quam artificialia, intenſa frigiditas potens vias coarctare, Exercitium forte atque ſuperfluū, maximè poſt cibum, ſaltare equū duri portatus, equi-

tare ad pillam ludere, longa ſuper pedes ſtatio, nimia quies expulſiuam pigritãs, ſomnus ſuperfluus, Supine in lecto molli quieſcere & dormire, nimia vigilia, ingens ira, ſuperfluus coitus, & maximè poſt cibum, eſt de præcipuis huiuſcemodi morbi cauſis. Idem quoque facit ventrem cingulo, aut diploide nimium ſtringere, fames longa, repletio nimia.

Dionyſius fontanonus in ſua praxi.

Veſicæ calculus aliquando, in renibus in ipſam veſicam deſcendit, ibíque ob craſſitiem retinetur, & temporis progreſſu augetur aliis humoribus craſſis ac lentis, qui ſe illis in veſica coniungunt induratis, pueris, frequẽtiùs in veſica generatur, ob craſſitiem vrinæ ipſorum, & calorem fortẽ, voraces enim ſunt, cibis vtcumque oblatis vtentes, ſiue ſint vtiles, ſiue noxij, ſæpe etiam priore cibo nõ cocto, alium ingerentes, hora cibum ſumendi, neque certa, neque ordinate ſeruata, perpetuo præterea mouentur.

Iacobus hollerius in ſua praxi, ſcholia ca.45.

Aceruantur calculi, vſu lactis, caſæi, vinorum craſſorum, aquarum limoſarũ,

alimenti craſſi ſucci & viſcidi, Craſſities materiæ intelligitur ex corticibus, veluti ceparum: quibus lapides integuntur, & ex compacta ſubſtãtia, & duritie à compacto humore facta, Fit enim à ſuperueniẽte calore, induratio, coctio, quaſique aſſatio, vt in lateribus ex luto factis, quæ neque calore neque frigore liquantur. Ponunt autem triplicem in veſica lapidem generari, ex arena, ſed raro, vnde fit tophus. Ex lapide, iam in renibus concreto, & ex fece vrinæ.

De Nephriſis & Lithiaſis ſeu Renum & Veſicæ calculi, ſignis. Ca.3.

Hippocrates li.4. De morbis.

Cæterùm morbus, ſigna quinque habet. Nam vbi meiere vult, dolorem habet, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ ſtillicidio, & eſt ſubcruenta nimirum veſica à lapide exulcerata, & veſica inflammata eſt, verùm hoc ſignum inconſpicuum eſt, indicat tamen ſumma pars pręputij, quandoque mingit arenoſa.

Hippoc.li.6. De morbis Vulgar.

Puerorum epilepſiæ, vna cùm pubertate quibuſdam mutationes habent, & alias in renem dolor grauis vbi cibo

impleti ſunt, vomunt pituitam, cum verò dolores abundauerint, eruginoſa, & leuiores quidem fiunt, liberãtur verò cum cibis euacuati ſunt, arenulęque ruffæ ſubſident, & cruentum meiunt, femoris quod è directo eſt, ſtupor, quieſcere non cõfert. Vide caput de pręcautione & curatione. Galenus in commento primo dicti textus, Dolores verò in renibus maximè fieri ait cum cibo replentur. Cæterum ὀπτὸς.i. cibus duo ſignificat apud Hippocratem, ſermo in vtroque ſignificatu verus eſt, ſiue de cibis intelligas qui ingeruntur ex quibus colligitur ſanguinis copia, ſiue de cibi excrementis quæ inteſtina continent. Et alibi Galenus in eodem commento calculis per renum regiones tranſeuntibus excitari ſeuiſsimos dolores. Reliquo autem tempore perinde ac ſi pondus aliquod ei loco incumberet.

Hippocrates de AEre aquis & locis.

Quare pueri calculoſi fricant ac trahunt pudenda videtur enim ipſis cauſa mictionis de loco eſſe. Signa autem ſunt in his qui hęc ipſa patiuntur, vrinã ſplendidiſsimam calculoſi mingunt, ad ſimili

tudinem ſeri, eo quod id quod eſt craſſiſsimum ac bilioſiſsimum iſthic manet, & coaceruatur, ac concreſcit, & pleríque ſanè hoc contrahunt.

Hippocratis aphoriſ. 79. li. 4.

Quibuſcunque in vrinis arenoſa ſubſiſtunt, his veſica, laborat calculo. Braſſanola in commento dicti aphoriſmorum, Sicuti eſt ſeniorum morbus renum lapis, ita puerorum veſicæ calculus, Aliud ſignum eſt præ omnibus certiſsimum, quod tamen nullus antiquorum poſuit. Ferrandus. Raſis li. 9. ad Almanſorem ca. 14. ſect. 2. tale ſignum notauit. Ætius tetrabibli 3. ſer. 3. non prætermiſit tale ſignum. Is qui veſicæ calculo laborat, quando mingit, ſemper, aut parum, aut multum, egerit, ſaltem deſiderio egerendi tenetur.

Hippocrates aphoriſ. 75. lib. 4.

Si ſanguinem aut pus mingat, aut renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat. Galenus in commento dicti aphoriſmorum, Exulcerētur autem renes in parte his qui in renibus lapidem habent, meatus vrinarij, quando à lapide aliquo

acuto, aut admodũ aſpero in ipſis interſepto excoriantur.

Ferrandus, quamplurimos tractauit qui talia patiebantur, inter quos chariſſimum habuit generum ſuũ à chartis medicum meritiſsimum, quem cum è viuis exceſsiſſet ſecare fecit, lapidéſque quam plurimos in cauitatibus renum inuenit, ſicuti etiam in ſubſtantia renum plures enim reperti ſunt, longi, aſperi, cornuti, nigri, qui quoties laborabat, aut equitabat, vellicabant renum ſubſtantiam, vnde ſanguinolentam meiebat vrinam, & quando quietus manebat, puram & limpidam meiebat.

Hippocrat. in prænotionibus.

Renum dolor repentinus, cum vrinę ſuppreſſione, aut calculorum, aut vrinarum craſſarum, mictionem ſignificat.

Hippocrates de Internis affect.

Quatuor morbi in renibus fiũt, à calculo autem ſequentia patiuntur ægri, Dolor acutus incidit in renẽ, & in lumbos. & in teſtem ſecũdum renem ſitum, & frequenter mingit, & adſtringit paulatim, ac ſupprimitur vrina, cum vrina procedit arena. & vbi per vrinæ meatum

exit arena, dolorem fortem in meatu exhibet. Cum autem per vrinam ipſam eiecerit dolor remittit. Poſteà vero in iiſdē doloribus verſatur. Cùm autem mingit, etiam præ dolore colē fricat, vulgus autem medicorū, quod non intelligit morbum, vbi videt arenā, putat veſicam calculo laborare, at non veſica, ſed ren lapide laborat.

Galenus De renum affectus dignotione & curatione.

Signorum alia ſunt vt ita dicam, ſcientialia, alia artificialia, alia ꝓpria. Propriū ſignum eſt, cum arenæ in matula ſubſident, tunc planè oſtenditur, lapidem in renibus eſſe, ſignúmque hoc conſtans & ꝓpriū, cōmune cū lotium ꝙ excernitur, ſanguinolētum eſt, ſignum id eſſe cōmune poterit, vel quod vaſorū aptio, ſit, vel ruptio, vel erroſio, vel imbecillitas, vel dilatio. 2. Si ſanguis eſt aquoſus, manifeſtum eſt certúmque lapidem conſiſtere, Si ſanguis qui excernitur ſit craſſus, manifeſtum eſt ipſius craſſitudinem violenta coactione, in lapidem eſſe abituram contra ſignum lapidis ex ſtupore cruris, quod à rene ſecundum lumbum

porrigitur poteris cognoſcere quis ren laboret, Nam ſi dextrum crus ſtupor occupabit, dexter ren occupat, ſin leuum, ſiniſter.

Galeno attributus liber de dinamidiis.

In veſica qui naſcitur Calculus, ſequentia habet ſigna, pleni videntur, & cibo ſaturi, frequentes ſentiuntur inflationes ventris & ſtrepitus, videntúrque oſcitare, nec oſcitant, ſed totum os diducũt, ſequitur totius corporis ſtupor, ſomnus grauis: quaſi maiori corporis ſit, vrina liuida ſit, & vix egeritur, intumeſcunt etiam pudenda & inde calculoſi fiunt.

Auicenna li.3.fen.18.tract.1.ca.4.

Renum caliditas ſignificatur ex tinctura vrinæ, ſicut ſua rubedine, & ſua citrinitate, deinde ex pinguedinis totius priuatione & caliditate tactus, ſiti nimia, multo coeũdi deſiderio, diabete calida. Signa vlcerum renum cũ calculo, ſunt. Quod egrediuntur in vrina ſanies, partes capilloſę, & fruſta rubea carnoſa, & in locis renum quandoque ſentit habens ea dolorem, & quãdoque antecedit ea mictus ſanguinis, aut dolor erradicationis

lapidis, Et differentia quidem inter vlcera renum & vesicæ, est quod vlcera renum sunt cum difficultate vrinæ.

AEtius tetrabibli.3.Ser.3.

Accedit ægris dolor loci, tumore foris nusquam apparente nisi inflammatio per lapillos producitur. spinæ ęgre flecti potest, & totum corpus ad motum pigrum est, crura torpent, & maximè crus reni affecto propinquũ, vrinæ circa obturationis principiũ paucæ aquosæ minguntur, Posteà verò perfecta earum suppressio cõtingit, † aluúsque nihil excernit, verùm promptitudines multas ad egerendum facit. Excernitur aliquando sanguis propter violentiam calculorum præsertim asperiorum. Cæterum vbi lapis fuerit è renibus emotus & ad vesicam delatus, vrinæ multæ prodeũt, arenosam substantiam habentes, & aluus similiter egerit, Sensum autem æger percipit veluti calculo è renibus ad vesicã trãseũte.

† *Vide brassanolã ca.3. De calculi signis.*

Paulus AEgineta li.3.ca.45.

Commune quidem colica ægritudine Renúmque laborantibus, intra primordia statim cohiberi summóque cruciatu opprimi, cibum fastidire cum cru-

ditate, & intestinorum torminibus torqueri, peculiare verò colicis, hæc omnia magis intensa ac diuturniora sunt, nephriticis autem minus, Colicus autem cruciatus, cum plurimum in dextris ilibus vexans, ad stomachum vsque iecur item & lienem pertinet, olet omnino nihil, immò ne flatus quidem per inferna transmittitur, nephriticis autem grauis in renibus dolor tanquam pallus fixus hæret, instar paxilli adacti referens. Et ex aduerso testiculus dolore afficitur, femur cùm coxendice torpescit, aluus quidem minus adstricta, sed sua sponte rariuscule respondet, Clysteribus verò iniectis, biliosum certè recrementum cum strepitu deiicitur, lotiũ autẽ exiguũ ac sabulosum magis redditur, meatúsq; vrinarij constringuntur, hæc, indicia calculos in renibus esse testantur, quæ viris adultis maximè eueniunt, pueris verò in vesica, & his arguũtur notis, vrinę cruditas & in albedinẽ languescẽs cùm sabuloso sedimine, pruriunt verenda, eáque subinde contrectant & arrigunt, idẽtidẽque in lotium vrgentur, & vrina distillat.

Idem Paulus AEgineta li.6.ca.60.

Lotium aqueũ eſt,ſabuloſum quod in eo ſubſidet, tentigine penis continenter pruriũt. Proinde illis abſq; ratione,modo relaxatur,modo arrigit̃, quoniã irritati, præſertim pueri frequẽter illũ demulcẽt & contrectant, Cum calculus in ceruicẽ incidit, extemplo vrinæ ſuppreſſio fit.

Iacobus hollerius in ſua praxi.

Dolor fixus, in renibus grauitas, vrinæ initio tenues primùm quidem cum arenis & exigue aſperitatis, deinde cum multo ſabulo & craſſiores excernuntur, ſigna lapidis in pueris ſunt, vrinæ aqueæ ſimiles lactis ſero, ſedimentũ arenoſum, & tentio virgæ,alioqui non conueniens illi ętati,cum factũ eſt,difficultas meiẽdi vrina ſubcruẽta, dolor in ei⁹ excretione, pruritus in præputio ex motu lapidis, & arenæ vel etiã lapilli parui ex attritu,certiſſimũ ſignũ ſi meiendo, egerũt aliquid, & egerẽdi cupiditate tenentur, cũ ſedẽt repente,vel ſedendo, concutiunt vehementer alterum pedem, dolorem ſentiunt in ima parte pudendi, nonnulli iubẽt ad certiorem diſtinctionẽ,ægrum equitare,ſaltare,exercerique vehementiùs, inde exhiberi lapidem cõminuentia

& ſubſidentia in vrina inſpici, in qua, ſi tribus aut quatuor diebus puluis appareat, lapidem durum, ſi lapidem fruſta & quaſi arene, tophum. Si nihil horum appareat, lapidem proculdubiò non eſſe, ſed cauendum ne exercendo, in ardorē vrinæ incidat.

Raſes in nonum ad almanſorem Ca. de lapidis curatione.

Cum æger virgam ſæpe fricat, & manu tractat ipſam, ipſa quoque frequenter erigitur, & ſubtiliatur, & vrina difficulter & cum dolore egreditur, in qua ægritudine fortaſſe & lōganon exit, lapis in veſica eſſe ſignificatur, Si autem æger cum difficultate merendi ſentit, vehementem dolorem in renibus, & in inguinibus, & nauſeam, & ventris conſtrictionem, lapis in renibus eſſe mōſtratur.

Philonius li. 5. ca. 18.

Signa quę ſignant in veſica, ſunt pruritus in canali virgæ, & in pectine cum erectione virgæ in pueritia, & adeſt dolor in interiori parte illorum vſque ad pectinem.

Si autē lapis eſt in renibus dolor eſt in albratim. i. oſſe lato ipſius dorſi, & in

renibus adeſt ei dolor ſimilis dolori colico,& ſi mouentur, & ambulent magis affliguntur,& ſi ſtẽt,quieti,in dolore minus moleſtantur,& adeſt nauſea,& ventris conſtipatio,& eructatio, & vrina in principio tenuis & aquoſa cum magno deſiderio, Et poſtquam lapis deſcendit ad canalem veſicæ, facimus diſtinctionem eius,per ſubſtantiam,& colorem & quantitatem eius. Per ſubſtantiam,qua lapis veſicæ eſt durior, quam lapis renũ, & magis planus, & rotundus & calloſus, per colorem, quia lapis renum eſt rubeus,& lapis veſicæ eſt albus,vel ad cineritium colorem trahẽtis,per quantitatem, quia lapis in veſica generatus, eſt maior, quia locus vbi generatur,eſt amplior.

Dionyſius fontanonis in ſua praxi.

Signa, grauis dolor aculeíque infixi ſenſum præbens, nullo foris apparente tumore, calculum in renibus concomitari ſolet, vomitus,& nauſea, vrgent, crus eiuſdem lateris cum rene patiente ſtupet, vrina circa obſtructionis principium aquoſa.

Circa initia generationis lapidis in veſica, vrina aquæ ſimilis eſt, in eáque

ſubſident ſabuloſa, quædam. Vbi iam genitus eſt, vrina alba eſt, tenuis ſine ſedimine vllo, grauitaſque in perineo & pectine, veſicæ laborantes calculo, crebro pruriunt, pudendáque ſcalpunt vel laxa, vel præter rationem intenſa. Calculus autē nonnunquā in veſicæ ceruicē incidit, repentéque vrina ſupprimitur.

De Calculi prædictione. Cap.4.

Hippocrates in prædictionibus.

Morbi hi ante pubertatem non fiunt, maximè nephritis. Verum ab anno decimoquarto, vſque ad quadrageſimum ſecundum annum. Natura morborum omnis generis tunc ferax fit. Rurſus ab hac ætate, vſque ad annos ſexaginta tres non fiunt ſtrumæ, neque lapis in veſica, niſi prius exiſtat, neque nephritis, niſi ex alia ætate comitetur.

Idem in eodem.

Tremores ſenioribus, in febre fiunt, atque ſic comparantes, fortaſsis calculos per vrinam eiiciunt.

Idem Hippocr. in eodem.

Calculoſi ita figurati, vt lapis ad vrinarium meatuum non illabitur, facile mingunt.

Idem in eodem.

Soporosi in principiis euadentes, cum capitis lumborum, colli, præcordij, dolore, vigilantes, non phrenitici sunt.

Idem in eodem.

In biliosis, vrinæ interceptio, breui occidit.

Hippocr. li. 6. de morbis popularibus.

Renum pasiones nō vidi sanatas post quinquagesimum annum.

Hippocr. li. 5. de morbis popul.

Famula Dysseridis in Larissa quum iuuencula esset, vbi venere vteretur, fortiter circum circa dolebat, alias sine dolore erat, concepit autem nunquam. Et cū sexaginta annorum esset, dolebat à meridie velut ex partu. Hæc cum ante meridiem, porrum multum edidisset. Postquam dolor corripuit priores omnes excedens, exurgens, asperum quiddam in ore vteri deprehendit. Postea cum ipsa animi deliquium decideret, alia mulier immissa manu expresit lapidem asperū magnitudine verticilli fusi, & sana tunc statim & postea erat.

Hippocr. li. 3. aphor. sect. 31.

Senibus, spirandi difficultates, &c. nephritides.

Hippocr. li. 2. prognoſticorum. prognoſt. 74.

Morbus tamen iſte, potiſſimũ tentat pueros à ſeptimo in decimũ quartũ annum, Gal. in commento dicti textus, Calculus autem proprius eſt morbus puerorum & maximè veſicæ, ob immodicum & intempeſtiuum ciborum vſum, veſica non ſufficiente alitioni & augmento, antequam igitur quã coquatur, alimentum ipſum trahunt ad ſe venæ, inde plurimũ in vrinis ipſorum ſubſidet.

Hippocr. aphoriſ. 6. li. 6.

Renum affectiones, & quæ circa veſicam conſiſtunt operoſę ſanantur in ſenibus. Gal. in commento dicti textus, in ſenibus vix ſanantur. i. multo negotio ac longo tempore, quæ in renibus & veſica ſunt vitia, quoniam earũ partium indeſinens eſt, quiete autem opus eſt, ſi quid ſanari debeat.

Hippocrates aphoriſ. 34. 35. 36. li. 7.

Quibus in vrinis bullę ſuperſtant, renum affectiones ſignificant, & morbum fore longum. Quibus pingue eſt, quod ſuperſtat, & aceruatim, his renum affectiones eáſque acutas ſignificat. Quibus

verò

verò nephreticis, ex renibus affectis, prædicta signa accidunt, doloréſque circa muſculos ſpinales fiunt, ſi quidem circa externos locos fiant, etiam abſceſſus extrinſecus futuros expecta.

Gal. in cõmento, bullæ fiunt circumextento humore ſpiritui flatuoſo, ſolet autem hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet.

Hippocr. li. 2. De morbis.

Moſcho laborãti, fortiter calculo, in ſuperna palpebra ordeolũ obortũ eſt, magis ad aurẽ, deinde intro exulceratũ eſt.

Hippocrates lib. de morbis Vulgar. commento 4. ex Gal.

Quibus renes aut veſica, progignandis calculis obnoxij ſunt, aquam ſtatim à coctione, antequam refrigeretur, ne bibant, vt partes terræ fundum petant, & leues ſuperfluitant.

Gal. lib. 1. ca. 11. de ſanitate tuenda.

Turpe eſt calculo virum robuſtum laborare. Quonam pacto turpe non ſit, qui optima natura ſit præditus, hunc ob podagram, ab aliis geſtari, aut calculo iã cruciatum, & colo, & vlcere in veſica, ex cibis mali ſucci contracto, doloribus cõ-

tabeſcere, hęc omnia, vel intemperantię, vel ignorantiæ, vel vtrique imputent.

Gal.li.6.De ſanitate tuenda.ca.7.

Si verò longo tempore vitioſum ſuccum augeri ſinas, grauis quidpiam incidet. Quo fit vt alij diutini, à quibus tota vita ſe explicare nequeunt, cuius generis mala ſunt, & podagra, & calculus, at veſicæ calculus, non ætatis lapſu, vt comitialis, ſed manuum opera dũtaxat curari poteſt.

Gal.De Renum affect.dignotione & curatione.

Ren dexter, ſiniſtro, ſublimior, ne interoperãdum alter trahat, alter retrahat.

Gal.li.De dinamidiis, gal.aſcriptus.

Nephriticorum pulſus, laſſus, vrina in his ſi ruffa fuerit, nõ bonum ſignificat, ſi cruda in peius protrahit, vrina in his ſpiſſa, & color velut ſperma hominis, mortem ſignificat. vrina vinoſa, augmentum doloris ſignificat.

Gal.in commento 2. li. 6. Epidemorũ ca.50.

Renes potiſſimum torqueri dolore, dum ægri, cibis repleti ſunt.

Gal.commento 1.li.6.Epid.ca.5.

Renum dolores, vomitus ſoluit.

Renum affectuum ſunt comites,arenulæ ruffæ, quales color in ſandaracha cernitur.

Auicenna li.3.fen.18.tract.1.ca.2.

Cùm vides habentes dolores in Renibus, mingere vrinam viſcoſam, tunc ſcias, quod illud in doloribus horum, propter illud quod attrahunt de materiis malis & generant quandoque lapidem,& reſoluuntur eorum ęgritudines, per vrinam craſſam reſidentem, & ille qui mingit vrinam,in qua eſt ſpuma plurima fortis tunc ægritudo eſt in renibus, & ſimiliter eſt in illo qui habet ſedimen carnoſum,& capilloſum & orobium digeſtum, quoniam digeſtio eſt ante renes, veruntamen cum digeſtio eſt vehemens validè,& cum ea permixtio ex aliis rebus, arbitrare.quod ægritudo eſt in veſica,& ſi digeſtio fuerit infra illam,vel minor illa,tunc eſt in renibus, Et iudica quod principium ægritudinis eſt in hepate.

Spuma in vrina.

Cingere, vel ſtringere dorſum, cum cingulo in quo ſit abſconſa moneta, facit incurrere, apoſtemata & lapides.

Vlcera renum ſunt minoris malitiæ, quam veſicæ, & quam vlcera meatuum exiſtentium inter vtrumque &c. Nam vlcera membri neruoſi, difficilioris ſunt ſanationis, quam membri carnoſi. Fitque vlcus in meatibus, propter præſentiam materiæ cholericæ excoriationem facientis, aut propter lapidem faciẽtem accidere excoriationẽ, & multoties adueniunt ex vlceribus renum fiſtulæ, quæ nullo modo ſanantur.

Et ille cui plurimum aduenit lapis renum eſt pinguis, Et ille cui plurimum eſt lapis veſicę, eſt extenuatus, & plurimum ſenibus aduenit lapis renum, pueris, veſicæ. Et plurimum fit inter infantiam, & pubertatis initium. Et illud verò quoniam virtus expulſiua, in infantibus & ado leſcẽtibus, eſt fortis, quare expellit à ſuperioribus membris ad inferiora.

Idem Auicenna li.3.fen.19. tract.1.ca.5.

Lapis renum eſt leuior, minor, trahens ad rubedinem. ille qui eſt in veſica eſt durior, maior, valdè magis decliuus ad ſoliditatẽ & cinereitatem & albedinẽ, & coagulatio poſt mictum, & accidit vt ſint in veſica duo lapides, & aliquando

plures illis, excoriantes &c. Et est assidua tio pruritus, & dolores in virga, & in radice eius, & in pectine multiplicat frictionem virgæ, & assidua fit erectio, maximè quando est puer.

Paulus AEgineta li.1. ca.100. in epistola Dioclis ad Antigonum.

Si quis morbus ventrem occupaturus est, his signis presagiri potest, maximè quando vesicæ malum imminet, post etiam exiguum cibum plenitas infestare videtur, inflationes, eructuationes, somni graues, lotia lurida, & egerrimè manãtia, & circa pudenda tumores, &c. Qui verò dictas notas, negligenter præterierit, hos morbos expectet, hydropem, lienis magnitudinem, hepatis dolorẽ, Calculi renum affectionem, lotij stillicidiũ.

Idem Paulus AEgineta li. 6. ca. 60.

Ex iis porrò calculus exciditur, pueri quidem vsque ad decimum quartum annum propter corporis mollitudinem nullo negotio curantur. Senes contra, quoniam corpus ipsorum rebelle, curationem nunquam fermè admittunt, mediæ autem horum ætates, etiam medio inter hoc, quædam inter hæc modo

ſe habent. Rurſum qui grandioribus calculis laborant, quia inflammationibus ſuſtinendis aſſueti ſunt, faciliùs malo ſubtrahuntur: qui exilioribus, difficiliùs ad ſanitatem perducũtur, contrarias ob cauſas.

Anthonius gaignerius.

Et in illo in quo eſt ſedimen arenoſum in quo eſt vrina, non aggregatur lapis, quoniam materia non eſt retenta.

Et ſcias quod lapis renum & veſicæ, eſt ex eis quæ hæreditantur.

Philonius li.5.ſuæ praxis.ca.25.

In vlceribus veſicæ, & viarum vrinalium, adeſt ſanies cum vrina, & eſt trumboſa & fætida, & dolet in illis partibus, maximè cum mingit, & maximè in capite. Licet vlcus ſit in radice, & eſt cum ſtranguria, & de difficili aut nunquam curantur.

Dolor in vlceribus veſicæ, eſt maior quam renum.

Iacobus hollerius in ſcholiis De calculi curatione.

Multis in partibus corporis humani calculi generari poſſunt, nam in capite,

in vtero mulieris,in folliculo fellis, leues nigri innatantes aqua, qui quandoque excluduntur deorſum.

Ferrandus anno domini.1564.Secare fecit illuſtrem Claudiam de Montleon, illuſtriſſimi viri Ioãnis Chaſtaigner, Domini de Rupe poſerij, magni ordinis Regii equitis coniugem, & in folliculo fellis,compertus eſt lapis niger, aſper, magnitudinis vnius nucis cum ſuis nucamentis,qui ſuo pondere, folliculum lacerauerat, vt fel in capſam inteſtinorum manabat, vnde omnes partes adiacentes erant maculatæ,vna cum inteſtinorum externa ſuperficie.

In meſenterio,in pulmonibus, in articulis,Iecore,liene, ventriculo, adherẽt ſepe cranio,vtero,veſicæ.

Ferrandus,duo lapides albi ſatis craſſi & ampli,à iunctura brachij dextri domini de Rhouet illóque viuente nouacula fuerunt excluſi.

His diebus vnus eſt extractus, à manus dextræ pollice, deuotiſſimè monialis Charrace,in cœnobio Sanctæ Crucis dicato degentis.

Hipp.li.5.de Morbis popularib⁹ aſſerit

famulam dyſſeridis in lariſſa vnum lapidem aſperum magnitudinis verticilli fuſi, ab vtero expreſſum fuiſſe.

Antonius Muſa refert ex ano, quinque lapides excluſiſſe.

Ferrandus vidit generoſam dominam de morthemar, vnum grandem & duriſſimum lapidem deieciſſe cum ſummo conatu, Quæ domina quamplurima anteà patiebatur tormina, & ipſo lapide eiecto liberata eſt.

Multi è thorace expuunt.

Ferrandus vidit ciuem caſtrilericenſem, prouſt cognomine, plures lapillos albos duros expuiſſe, & tandem atrophicus periit.

Narratur Albertum ſauoranollam poſt obitum ſectum decem calculos inuentos fuiſſe in veſica illius, magnitudinis oui columbæ & figura, ſinguli pendentes.3.v.

Ferrandus in menſe Iunij, illuſtris dominus de montpipeau cognominis de Rochechouart, eques magni ordinis Regis, poſt obitum ſectus, tres lapides fuerunt comperti in veſica, magnitudinis nucis integrę cùm ſuis velaminibus, pla-

ni, albi, insignis duritie, vt silices fluuiales potius dicerentur, quam vesicales, aut ab humano corpore excretos fuisse.

Ferrandus hoc ipso anno 1566. Secto cadauere sui generis Petri deschartes re medica illustrati, exclusit è substantia vtriusque renis duos lapides, ab vtroque vnum, insignis magnitudinis & crassitie, multis allis seu cornibus, aut radicibus indicta renum substantia & stomachis seu ventriculis adhærentibus, cum multis lapillis pisorum magnitudinis repletis, vreteribus quamplurimis arenulis refertis & oppletis. Et in recto intestino, è regione colli vesicæ, inuenta est carnositas putris, quæ sua putrilagine vesicam ita lacerauerat, vt intestinorum excrementa ante obitum, vna cum vrina reddebat ad miraculum vsque, & forsitan antea non visum.

Ferrandus in cadauere domini de montigne cognomine Lucas apud picta uos patronus equiamantissimus, qui suis scriptis & monumentis perpetuis, suum vsitatum gallicum prouerbium reliquit. L'ame & l'hõneur. Quod certissimè credo virum à vera virtute & studio viri veri

finem eſſe aſſequutum iuxta ſuum dicterium & adagium, extractus eſt è veſicæ ſtomacho ſeu ventre lapis ingentis magnitudinis & ponderoſitatis vt vix credibile ſit talem lapidem potuiſſe in dicto ventriculo contineri &c. pendebat ℥.13.

Iacobus Hollerius in ſcholiis ſui libri De Morborum curatione.

Quorum enim aluus fluida eſt, ac ſana, & veſica vel veſicæ os non ardet, his vrinam facilè effluere, & in veſica congregari. Quorum verò aluus feruens & feruida fuerit, in his etiam neceſſe eſt veſicam perpeti &c. Nonnulli nullum in veſica lapidem generari aiunt, quin in renibus principium acceperit, & rudimentum. Alij verò propter capacitatem ſæpius in veſica generari. &c.

Multi arenas mingunt, neque calculòſi ſunt, non enim coguntur niſi viſcido & crudo humore tanquam glutino, opus eſt tempore. &c.

Vrinam frequenter fluere, non eſt ſufficiens argumentum, liberos eſſe calculis vreteres, cum vno clauſo, per alterum reddi queat, ſuppreſſa vrina, regur-

gitat. Vnde alui tumor, ſingultus, animi deliquia, cωma dyſpnœa, cataphora &c.

Sæpe ſanguis excernitur, ob vehemẽtiam calculi.

Calculus veſicę curatur eodẽ modo, quo calculus renum, Nihilominus tamẽ in calculo veſicæ, fortioribus eſt medicamentis, quam renum.

Cùm verò lapis iam vlcus excitauerit, aut carnem, ſigna lapidis confundi. Omnibus tamen certiora ſigna digiti in rectum inteſtinum (cui veſica incumbit) immiſſio, & catheter, ſed quæ ſine dolore adhibentur. Suppreſſa vrina, corpore ſupino, & cõcuſſo, ſi prodeat lapis, meatum occludebat, neque catheteri ſemper fidẽdum. Mercatori cuidam, omnia calculi veſicæ ſigna aderant. cathetere probari non potuit, mortuo duo magni calculi inuenti ſunt, ſinguli ℥. ij. ſ. membrana incluſi vtrique ſua, vbi concreuit in veſica ferè maior euadit, ob maiorem capacitatem veſicæ & colluuiem. Tum non mutatione ætatis, ſed ſola chirurgia curatur, atque aliquando liber eſt, interdum hæret veſicæ nec niſi vi extrahitur.

Dionysius fontanonus.

Calculus in Renibus hominum prouectæ ætatis frequenter, in puerorum renibus rarenter gignitur, pro ratione magnitudinis ventriculorum qui sunt in renibus, calculi aut parui, aut magni gignuntur, aut plures aut pauciores, inter se, colore, forma, leuitate, aut asperitate differentes.

Qui forma rotundi sunt, & leues, facillimè excutiuntur, alia forma præditi difficulter, omnium difficillimè, qui oblongi & asperi sunt.

Ferrandus anno 1567. Secuit illustrē Ioannem chastaigner dominum à Rupe poserij, Et septem calculos inuenit, quinque scilicet in vesica crassitie ouorum palumbarum, vnus in fellis folliculo, & septimus in rene dextro. Verùm non cōquestus nisi circa suos vltimos dies, super ardore & difficultate vrinæ.

Idem fol. 15. pag. 2. Ferrandus eadem die 2. Iunij. 1567. in cadauere Caroli Tiercelin domini à rupe du mayne, equitis magni ordinis Regij, necnon caput 50. militum, repertus est in vesica ingens calculus circundatus ingenti humiditate putri, purum

pus repreſentãs plures lapilli in renibus, vnus niger in folliculo fellis oualis, ſubaſper, & paruus. Item ob lanceę ictum & concuſſionem in latus ſiniſtrum, remanſerat ingẽs tumor præter naturam in cauitate cuius, inuentus eſt ingens lapis, quadratus, diuerſi coloris ingentis duritiei.

Antonius muſa refert mulierem ex ano, quinque lapides excluſiſſe.

De Nephriſis & Lithiaſis, ſeu de Renum & Veſicæ calculi, præcautione & curatione Cap. 5. & 6.

Nam medicamenta præcautioni dicata competunt & curationi. Ob id hæc duo, præcautio, & curatio, in vnum caput collegi.

Hippocrates lib. 6. Epidemorum.

Quieſcere nõ conducit, ſed exerceri, non repleri, iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinã mundare, tenuare, & mollire. *Exerceri, non repleri, purgare poplitem, ſecare, vrinam mundare, Tenuare, mollire.*

Gal. in commento dicti textus circa finem.

Tenuare, omnibus renum vitio laborantibus vſui eſt. Tenuare de humoribus, mollire de membris ſolidis &c. Quinetiam licet veratrum non præbea- *Veratrũ.*

tur, optima res est, humores tenues esse, & renum ipsorum mollia reddere, vt per se ipsa transire facile possint. Ab initio namque calculus in ipsis nunquam generabitur, si quis hæc diligenter obseruauerit.

Nota.

Hippoc. in 6. Epidemorum commento 4.

Quibus renes aut vesica progignandis calculis obnoxij sunt, Aquam coctione antequam refrigeretur, ne bibant, vt partes terreæ fundum petent, & leues superfluitant. .

Aqua.

Ferrandus in domibus principum & magnatorum, est solitus iubere, tum crudam, tum coctam, collari. Quia defectu collaturæ, multæ aquæ sunt noxiæ. Et co ctura collaturáque innoxiæ redduntur.

Hippocrates in 6. Epidemorum.

Fit autem lapillorum concretio, in vesica, post mictum, in renibus ante mictum.

Ferrandus. Igitur cum conatu interpollatis vicibus est meiendum, vt quod fundum vesicæ tenet, conatu vna cum lotio excludatur, quod nō fit si vrina affatim reddatur. Et quotiescūque meiendi appetentia virum sollicitat, est meien-

dum, ne quod crassum è renibus cum lotio colletur, fixius fundum petat & adhæreat.

Hippocr. li. 1. de morbis Vulgaribus.

Clonigus in abderis, erat quidem nephriticus, mingebat autem sanguinem paulatim, plerumque difficulter, vexabatur etiã aluus dysenteria, huic mane quidem dabatur lac caprinũ & aquæ quinta pars, ita vt ex ambobus compositum, essent heminæ, ad vesperam autem, panis valdè assatus, obsonia, beta & cucumis, vinum nigrum & tenue, dabatur etiam pepo, hac verò victus ratione quum vteretur, & aluus substitit, & vrinæ purę prodibant. Bibit autem lac, donec vrinæ restitutæ sunt.

Lac caprinum aqua mixtum. Panis valdè assatus. Obsonia. Beta. Cucumis. Vinum tenue. Pepo.

Galenus in commento dicti textus.

Pharma in inflammationibus renum & vesicæ vlceribúsque, mitigatoria esse debent, coniuncta tamen diureticis. Quæ verò calculosis medentur, vnicam facultatem sortiuntur, quæ secare & extergere potest cum manifesta caliditate, sunt talia ferè omnia amara.

Hippocrates de internis affect.

Huic cum se habuerit, & calculo in renibus sit diuexatus, cum scammoniæ succo, aut radice ipsa, fomento prius adhibito, totum corpus purgato, Postero die duobus congiis succi ciceris albi, sub purgato, quem sale iniecto bibendum dabis. Post hæc potibus, & cibis, & balneis, curato, & eadem quæ in vrinæ stillicidio exhibentur, pharmaca dato. Quũ autem dolor multum presserit, multa calida lauato, & tepefactoria, qua parte maximè dolet, adhibeto. Quum autem intumuerit, & eleuatus fuerit, sub id tempus iuxta renem secato, & extracto pure, arenam, per vrinam cientia sanato. Si enim sectus fuerit, fuge spes est. Sin minus morbus homini commoritur.

Scãmonia · *Cicer alb⁹* · *Balneum* · *Iuxta renem secare.*

Hippoc. de Natura mulierum.

Si virgo ex lapide laborarit, semen radicis Æthiopicæ in vino veteri ad dies decem dato. Deinde in aqua ad dies viginti, & bis in die multa calida lauato, Cataplasma, allium, portulacam, apium, loti, cedri. Ramẽta trita simul mixta subacta imponito &c. Ibi sunt quãplurima remedia scripta, nẽpe fotus suffitus, &c.

Æthiopica. · *Lauare bis in die.* · *Allium.* · *Portulaca* · *Apium* · *Loti* · *Cedri.*

Hippoc.li.6. Epidemorum ca. 7. Gal. in secundo cõmento.

Renibus male affectis, si humor aliquis per lotium vacuari incipiat, deriuandum ad aluum esse.

Simplicia quibus Hippocr.est vsus.

Allium,	Cucumis,
Apium	Lac
Aqua	Lotus
Æthiopica	Portulaca
Beta	Pepo
Cicer	Scammonia
Cedrus	Veratrum.

Galenus li. 6.Ca.11.De sanitate tuenda.

At si obesus sit, quem calculus infestat, audacter huic tenuem victum iniungito, Eadem & iis qui articulorum vitiis laborant præcepta censebis &c. Scire tamen licet, podagrica antidota, multum distare à nephriticis, non tantum quod crassos & glutinosos succos attenuent, sed etiam quod excalfaciunt & siccent. Nam calculosis, quæ validè excalfacient, dare nullo modo conuenit. At vbi renes calculos aut tophos gignũt(totus verò habitus gracilis est)quæ inęqualis connexio,(cæteris malignita-

tem non cedit) hæc medicamenta & victum quæ extenuare possunt, ea tamen gracili corpori inimicissima sunt. Lac sic affectis prohibendum, asinino dempto, quod cæteris est tenuius. At vno verbo dicam mediam conuenit, inter extenuentem & impinguentem victum rationem.

Lac.

Gal. li. 5. De sanitate tuenda ca. 5.

Senes vina crassa bibentes in calculos incidũt &c. Verùm iis vinis quę melle condiuntur, non vetem vti senes, maximè quibus suspitio est, calculus in renibus gignendi, aut podagre, alicuius articularisve morbus impetus futuri. Et si quid petroselini, bethonice & saxifragon, & etiam modicum spice nardi iniiciunt.

Vina crassa.

Petroselinum, Bethonica Saxifragon, Spica Nardi.

Gal. De succorum bonitate & vitio.

Medicamenta salubria sunt, quæ attenuandi facultate constant, horum officium est, angustiores vias expedire, tum abstergere, si quid ex humoribus glutinosi vasis adhæserit, humorúmque crassitiem incidere & extenuare. Cæterùm frequens horum vsus, sanguinem serosum, aut biliosum, aut attribilarium

Medicament. solu cut. frequens vsus verendus.

temporis tractu reddiderit, si quidem solita sint medicamenta hæc vniuersa prope præter id quod attenuent & incidant, etiam vehementiùs excalfacere, à siccis autem excalfacientibus solidiores partes exiccantur, humoréſque redduntur craſſi, vnde renum calculi existunt tophacei.

Gal. li.3. Methodi medendi.

Calculus qui in vesica est, quod toto tempore præter naturam sit, ablationem sui indicat.

Gal. li.4. Methodi medendi.

Iam per penem iniicere medicamenta in vesicam sepe necessum est, igitur illud de cathatere apponere opus non est, quod eò probe omnino vt nequeas, nisi & positum, & figuram totius vesicæ, plane perfectam habeas, Quoties in vesica & renibus vitium existit, non solùm mel ipsum, sed etiam eorum quæ vrinas mouent quippiam, vlcerũ medicamẽtis misceri oportebit.

Gal. li.5. Methodi medendi.

Nam quæ ventriculo sunt vicina, his per comesta & bibita succur-

ratur, quæ verò inferius ſunt ſita, per ea quæ iniiciuntur. Quando neque ad ea quæ vicina ventriculo ſunt ſubire poteſt, quod per ſedem infunditur, nec integris viribus ad inferiora pertingere quod per os ingeſtũ ſit, vnde veſicæ clyſteres excogitati, & ſi non valent, ferro vtendum.

Galenus lib. 7. Methodi medendi.

Renes verò, ac veſica, ac iocinoris gibba, ſi multo vitioſo ſunt ſucco referta, per deiectiones & pharmaca deiectoria expurgantur, ſin modo, per vrinales meatus.

Gal. in eodem li. 7. method. med.

At quæ in vtero & veſica vel inteſtino, venæ arteriæ ſunt, cum eadem genere medicamenta, cum exulceratæ ſunt requirant, &c. Sic in veſicam per indirectum foratas fiſtulas, ſanè rariora, ex his profluuia ſanguinis fiunt, ſed tamen aliquando fiunt, & quanquam non profuſione ipſa periculoſa, at certè ob diuturnitatem, non ſine periculo. Ex veſica, ſi profluuium eſt, eſtimari debebit, ipſius profuſionis quantitas, vt videlicet, vt hanc, iam vel vt primam, vel vt ſecũdam

indicationem curationis habeamus, nec tamen obiter totius affectus, non habentes rationem.

Gal. li. 11. Methodi medendi.

Illud te profectò non fugit, nos singularum partium meatus qui iis ad superuacuòrum sunt proprij, fluxiles reddere, inteſtino, ventriculo & meſenterio, & concauis iocinoris, inteſtinum rectum, renibus, veſicæ, iocinoris gibbis, venæ cauæ, & arteriæ magnæ, & omnibus quæ in lumbis habentur, eum qui in vrinis eſt delegatus, &c. At excrementa quæ cúm vrinis feruntur per ea quæ vrinas mouent (diuretica græci vocãt) promouebis.

Gal. lib. 13. Methodi medendi.

Quippe præceptum ad partes remotas, maximè auerſionem ſemper faciendum, &c. Neque cum in veſica, vel colle, vel renibus, eſt phlegmone cepta, pharmaca quæ vrinam prouocent dabis, aliis quæ in renibus, veſica pudendo, & vtero ſunt afflictis, eas quæ in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſſimum quæ circa poplitem ſunt, Sin minus eáſque iuxta maleolum ſunt. Ac perpetuo quidem in *Sanguinẽ mittere.*

omnibus quę è directo vena est aperienda, & sanguis mittendus &c. Prima vacuationis diuersitas, pro particulari varietate & diuersitate, variatur, constátque communem indicationem, non magis esse vtilitatis, quam noxæ causam, si quidem quod vacuandum sit, id communis indicatio est, vnde autem, & quomodo, vacuatio sit facienda id æger ipse docet, locúsque. Si quidem in renibus aut vesica, phlegmone incipit laborare, quæ vrinas cient, exhibe. Renes verò quod conditi sunt, tactum effugiunt, Cęterùm hos quoque facilè schirris deprehendi, ratio docet, atque idcirco nephritidas, alias facile solubiles, alias ægrè solubiles esse. Cùm renes habeant, quæ in viscerum vtroque prædicta sunt inesse, tum substantiæ qualitatem, tum excrementorum, quæ per ea dilabuntur vitium. Quo fit vt qui crassi succi cibis vescantur, tanto magis sollicitos esse oportet, ne quis in hos incidat, maxime autem incidunt, qui ipsis phlegmone laborantibus, iis cibis vtuntur, qui crassos lentósque succos efficiunt. Quinetiam huiuscemodi affectuum medicamina,

inter omnes conuenit ea esse, quæ dissecent, & dissoluent, & frangunt. Quæ vtique eorum sunt genere, quæ obstructiones eruunt & detergent, ceterum viribus valentiora.

Galenus lib. decimo quarto Methodi medendi.

Ad eundem modum & calculi generantur &c. Curandi verò eius communis indicatio, vt quod præter naturam in particula est, totum vacuetur, modus autem eius euacuationis proprius est, nam detergere id vbi contumaciter inhęret oportebit. Quod si quis iis quæ vehementer trahunt digerúntque medicamentis vacuare tentet, nec his quæ humectant & excalfaciant molliat, ac liquet huic paucis primis diebus, egregiè processisse videbitur curatio. Cæterùm quod de affectu restabit, id insanabile erit. Si quidem totum quod in eo tenuium partium erat digesto, quod reliquum est, veluti lapidosa concretio linquetur. *Notand.*

Gal. lib. De oculis.

Medicina attenuens & incidens, ni-

Radix capparis Calamenthi Radix helleborus acetum scylliticũ.

mietate caloris, lapidem frangit, vt radix capparis, radix calamenthi, vterque helleborus, acetum scylliticũ. Si enim multum habent calorem, lapidem frangere videntur.

Gal. de Renum affect. dignot. & curat.

Nam calida vrinam prouocantia, indurant lapidem, quæ verò virtutem tepidam habent, paulatim comminuunt lapidem, nec enim duriorem reddunt, eiusmodi sunt damasonium, petroselinum politricum.

Damasonium Polytricõ Petroselinum.

Idem in eodem.

Quæ verò vrinam mouent, calida sunt, & sicca atque acria, quamobrem secernunt quidem serosum sanguinem, sed quicquid in se crassius habet, id cogunt & compingunt, Propterea ii qui morbo calculorum sunt affecti, non debent apponi. Hæc tamen veluti ductoribus & vectoribus, ad locum affectum vsi quandoque fuerimus, proderunt.

Galenus lib. 1. De composit. medic. secundum loca.

Cum verò impossibile sit, hæc cito ad Regionem renum peruenire ob id ipsis pharmaca vrinam cientia miscemus, Ob

id medicamenta, quæ ad renum inflammatas & vlceratas affectiones componuntur, mitigatoriis medicamentis opus habent, pharmacą vrinam cientia miscendo.

Idem li.3. De medic. localium Capite de dolore auris.

Cæterùm aurium meatus, ab obturatione liberant, etiam quæ in renibus lapides atterunt. Ex quorum numero est etiam cucumeris siluestris radix, itémque bryoniæ &c. & omnino omnium amarorum, citra mordacitatem, nam & absque molestia, expurgant hęc meatus, disiiciuntque & dissecant obturata. *Cucumeris siluestris radix* *Bryoniæ.*

Gal. li.1. De morbis Vulgaribus in commento textus. Clonigus in abderis erat &c.

Pharmaca in inflammationibus & vlceribus renum & vesicæ mitigatoria esse oportet, coniuncta tamen diureticis: quę verò calculosis medentur, vnicam facultatem sortiuntur, quę secare & abstergere potest, cum manifesta caliditate sunt talia omnia ferè amara.

Gal. De theriaca ad Pisonem.

Et saxifragia, atque bethonica, renibus multoties profuit. *Saxifragia* *Bethonica*

Galenus De simplic. medic. facultat.

Atque renes expurgant, & ipsa quidem incidentia sunt. Verum larga humiditate non indigent. Porrò quæ callosas siue tophaceas consistentias incidere sunt idonea, & ipsa vtique admodum incidunt, sed minimum caloris possident, quandoquidem caliditas porum exiccando contrahit, non incidit neque diuidit, atque minus sunt calida, cum hoc quòd incidere valeant, meliora quoque sunt, velut Radices asparagorum Regiorum, & Rubi, & Bethonica, & Polium tum Ochra, & Vitrum vstum, & scylla ex aceto confecta.

Asparagorum Regiorũ, Radices Rubi, Bethonic. Polium Ochra, Vitrum vstum, Scylla ex aceto confecta.

Galeno attributus. De Renum affectu, dignotione, & curatione.

In præseruando, sunt maximi momenti, ciborum moderatio, & bonę coctiones, satietates enim & cruditates, &c. Quapropter nihil est ingerendum quod renes & vesicam possit excalfacere, nec minus cauendum à cibis, qui duram substantiam habent, & qui ægrè diuiduntur, qui quæ substantiam ha-

Ratio victus.

bent pleniorem, & qui multum nutriunt, tum qui celeriter in corpus diſtribuuntur ante perfectam coctionem, item qui immutant, difficultérque deſcendunt, & inflant, viáſque obturant aut aliter corpus adhæreſcunt pertinaciùs, talibus alimentis grauatus, cruda hæc ad Iecur & renes detrudit, incoctum autem alimentum à ventriculo illuc confertim expulſum prauè excolatur, atque cum tumultu, ſemel atque iterum per renes tranſiens, in lapides concreſcit, ob renis diuturnam percuſſionem.

Vinum ſit tenue, admodum & album, non valde vetus, dulcia verò & vina nigra, calculoſis ſunt inepta. *Vinum.*

Aqua in vniuerſa victus ratione, ſit puriſſima & purgata, Nam fluuiales, paluſtres, & omnes aquæ ſtagnantes, quæ ſegniter fluunt & non commouentur, omnes generare lapidem poſſunt. *Aqua.*

Victus ratio frigidis & carnoſis, dicta ſit plane extenuens, in calidis & gracilibus, media ſit inter extenuantia & craſſè facientia. *Victus Ratio.*

Saturitas. Ab omnium cibariorum ſaturitate, cauere conuenit, & præcipuè dulcium, & caſſeaceorum, & craſſorum & tenacium, & pinguium.

Cruditas. Cruditatem aduerſiſſimam putato, Et ſi quis calculoſus in illã incidat, ſomno diutius, aut quieti prorſus indulgeat, præcordiáque propriis manibus calfaciat donec concocta omnia ritè ſint, & infra ſubſident.

Locis temperatis, & in aëre puro, fiãt

Exercitiũ. exercitia, ab his quibus liberum tempus eſt, Deambulationes & exercitia, laborãtis naturæ conueniunt, eſt enim deſidia, in primis noxia.

Iraſci Iraſcantur interdum.

Aluo libera. Sit aluus ſoluta aſſiduè, modo ne inſtet quidpiam, cum namque probè hæc excernit, vrinæ profluent liberæ.

Sang. miſſio. De ſanguine mittendo, accuratè cõſiderare debes cum tempus adeſt, ſi corpus videatur ſanguine plenum, eximendus enim, niſi euacues, confluet in partem imbecillam, ſed purgatione præſtiterit in his qui malis ſuccis ſunt repleti.

Non purgand. & phlothomand. ſimul. Non oportet autem venam ſecare ſimul & purgare, ſed quia affectus renalis

est, & materia ex qua generatur lapis est crassa, materiamque crassam sursum reuellere promptum non est, magis verò ad ipsius lationem spectãtibus, deorsum vacuare expeditum, ob id si valida sit virtus, venam quę in poplite est aperiemus, vel quæ ad maleolos, sin imbecillis venã quæ est in cubito. Nam si virtute infra euacuabimus, retentrix facultas quæ est imbecillis non retinebit, sed vniuersa in pręceps rapietur, & partem assiduò affluxu impetet, succis videlicet in locũ imbecillum perpetuo incumbẽtibus. Quapropter cum firma est victus, conuenit ex vena quæ in poplite est mittere, cum debillis ea est, reuellere ad superiora.

Vomere facito frequenter à cæna, maximè eos qui inordinatè degunt, & succum crudum in superiore ventriculo multum colligunt, nisi sit quamobrem prætermittant. *Vomitus.*

Siligineus panis, plurimi est alimenti, & qui diutissimè in corpore moratur, & efficacissimus est. *Panis.*

Medicamenta quę renes purgent offerre conuenit, sicut quæ obstructiones aperiunt, quę vrinas crassissimas viscosas, *Diuretica.*

fætidas, multas à venis, renibus, vrinæ meatibus, atque vesica educunt, quæ numero sunt Cardui radices decoctæ.

Carduus.

Qui namque id quod secundum naturam est, exquisitè perspexit, celerius cognoscet. Id quod est præter naturam, neque enim prædictæ causæ solummodo medicationem variantium sed proprij naturarum modi, propter quos medicamenta, vel plurimum probata, sæpe nihil conducunt atque fallunt, quapropter obseruare conuenit. Verum memorare proprietates, aliaque complura, quę dicta non sunt. Non omnes qui ad sacraria medicinæ accesserunt (licet alioqui sint argutissimi) sed qui ægris semper assident, & explorabunt naturæ motus assequentur. Proinde si ob latentem aliquam & propriam causam artificiali cuiusdam coniecturæ medicamenta non respondeant, oportebit propter vrgentem vehementię necessitatem, ad ea quę veteres obseruatione tradiderunt, & quæ à tota substantia operantur descendere. Ea dico quæ experimento, & exercita-

Quibus medicis fidendum.

Veterum experiētia.

tione irrationali ſunt reperta, quod genus ſunt, paſſer Troglotydes, Leporina pellis combuſta, Sanguis hircinus, & alia infinita tam ſimplicia quam compoſita, veluti Damaſonio petroſelino polytrico, &c.

Troglotydes. Leporina pellis. Sanguis hircinus. Damaſonium.

Ferrandus caput pice auis, gallicè *Pie, ou Eſiace* combuſtum cum vino albo & ſucco limonum miniſtratum calculos vidit excludi & deturbari enemate præcedente, ídque vidit in quamplurimis probari. Et generoſus dominus de Griſe, aſſerit quamplurimos liberaſſe.

Si renum affectus ſubito inuadit, at qui laborat, ſit nuper refectus, & cibi ſint incocti, aut ſemicocti, vel ſuccorum multitudine grauatum habeat. Oportet ante aliam curationem, vel potius mitigationem, niſi quicquam impedimento eſt, Vomitum prouocare. Mox ſi in inteſtinis excrementorum ſuperfluitates fuerint, per idoneos clyſteres extrahere modo nihil obſtet.

Vomere. Clyſterizare.

Poſtea ſi totum corpus plenum fuerit, conſiderare quiſnam humor fuerit, qui ipſum repleuerit. At ſi ſanguis

" is eſt, euacuationem inſtituere oportet, " cum nihil impedit, minorē tamen multò " quam plenitudo deſiderabat. Quid ita? " quoniam lapidem non planè ſtatim eximere poſſumus, ideo ſanguinis copioſa " vacuatio cauenda. Sin quatuor humores " abundauerint, potiùs incidenda eſt vena ante purgationem, quam purgandum, ante venæ ſectionem. Quoniam ſi per " ſanguinis miſſionem &c. Nā ſi vaſa ſanguine repleta ſint, & purgatiuum dederis, non poterit propter corporis plenitudinem, in corpus deferri, vt ſubſtet & nihil efficiat, aut ſi quicquam facit male- facit.

Purgād. poſt ſang. miſsionē.

Non oportet autem venam ſecare ſimul, & purgare, ſed quia affectus renalis eſt, & materia ex qua lapis generatur eſt craſſa, Materiam craſſam ſurſum reuellere, promptum non eſt, magis verò ad ipſius lationem ſpectantibus, deorſum vacuare expeditum. Ob id, ſi valida ſit virtus, venam quæ in poplite eſt aperiemus, vel quæ ad maleolos, ſin imbecillum, venam quæ eſt in cubito. Nam ſi virtute debilli infrà euacuabimus, retentrix facultas quæ eſt imbecillis non reti-

De venæ ſectione nota.

nebit, ſed vniuerſa in præceps rapietur, & partem affluxu impetet, ſuccis videlicet in locum imbecillum perpetuo incumbentibus. Quapropter quum firma eſt virtus, conuenit ex vena quæ in poplite eſt mittere, cum debilis ea eſt, ad ſuperiora reuellere.

Proinde ſi te calculorum paſſio repente inuaſerit, ſi cibum nuper aſſumpſeris, ac nauſeam perſentiſcas totum id euomito, ſiue id naturaliter facias, ſiue ad intus, vtrocúmque modo viſum fuerit tuo medico, poſteà ſomno te committes. Cúmque in aluo aliqua indurata iam excrementa inhærere ſuſpicatus fueris, clyſtere, hæc, niſi quod prohibeat vacuentur. Quod ſi dolor intollerabiliter affligit, in aquam calidam te dimitte. De balneo ne abutare, nam dolores mitigat ſed vires exoluit, quæ morbi cauſam diſcutiunt. At ſi lapis defixus in rene ſubſtiterit, acetum ſcylliticum, quæ lapidem ſimiliter atterũt ſimpliciter aſſumere oportet, ſicut eſt, Decoctum radicis graminis, Adianthi, Damaſonii. Quæ ſi inefficaces videantur, iis quæ lapidem frãgunt vti poteris, quales ſunt, radices re-

Vomere.

Somnum conciliare.

Clyſteres præbere.

Balneare, & de balneo ne abutare.

Acetum ſcylliticũ.

Decoct. Radicis Graminis &c.

Recurre ad ſimplicia.

galium aſparagorum : bdellium ex arabia aduectum, ſemen altheę, milium ſolis, Bethonica, Saxifraga, Pullegiũ, Capparis Ægyptiæ Radix, domeſticarum ficuum ſemina. Quod ſi aliquo pacto, nec hæc quidem proficient, vtendum putarim medicamentis, quæ potenter lapidẽ vim habent frangendi.

Poſt prædicta & aluus ſatis excernit, iniicienda ſunt, que vias dilatare, renes laxare, calculum deprimere, & morſus mitigare. Vtilis ad hæc oleum anethinum, in quo eliquatus ſit, gallinaceus adeps, quam recens, maximopere verò phaſiani adeps, vel butyrum recens, vel ſimilium aliquid, vt fænugrecum & altheę, vel ſemen in oleo decoquentes iniiciemus. Sed horum vſum frequentiùs aſſequitur, his qui exploratam habet naturalium facultatem.

Immoderata namque emollitio & laxatio, virium robur exoluit, quod ſolatur & perfecte curat vniuerſum dolorẽ.

Poſt vomitum autem & eneruata, confert locum qui affectus eſt, fomentis humectantibus & relaxantibus delinire, quantiſper lapis in Rene hæret, huc

faciunt cucurbitulæ, quæ sępe lapidem, celeriter adeo transferunt, vt subitam huius mali leuationem, possint comparare. *Cucurbitulæ.*

Quapropter supra à Renibus initium faciendum est, procedendúmque ad omnia per obliquam ilium positionem, quo loco dolores frequenter incedunt, verùm prius partes calfacere debes.

Conducet emplastrum ex triticea farina, aut ordeacea cum lini semine, & fęnugreco, & melle & oleo anethino asper gentes in ipsis cataplasmatis ebullitione, Radicem altheę pulcherrimè tusam, cribro discretam, terebinthinámque Resinam, cum desunt feruere decoctum, aliquibúsque seminibus quæ flatus discutiunt, vt sunt anethi, apij, ligustici. *Emplastra.*

Fiet cataplasma optimum, ex lupini farina musto cocta, chamamela & peucedano mixtis. Bonum tamen incoquere, & cataplasma lumbis & ilibus imponere &c. vel pro fomento aquam calidam in vase testaceo vel eneo imponimus.

Ferrandus vesicas porci, aut alterius vel ali⁹ quadrupedis animalis, Collatura

decoctionis altheæ, parietariæ, fœnugreci & anisi, semiplenas imponit, & nonnũquam semiplenas solo oleo anethino & de scorpionibus, nonnunquam sacculos plenos prędictarum herbarum frixarum oleis supradictis. Verùm vesicę oleis prę-scriptis plene meliores, non maculantes patientis pannos, & melius situi & applicationi obedientes. Si dolores auxiliis pręscriptis non cessent, vti aquarum dulcium lauacris.

Gal. in eodem libro De Renum affectus dignotione & curatione.

Balnea. Balnea nonnulli admiserũt, ante venæ sectionem & reliquam curationem, propter doloris immanitatem. *Stupefacientia.* Cæterùm si excessu doloris homo periclitetur, cõmodius stupefacientibus succurrere. Nã aliter nunquam ea vsurpes. Veruntamen si laborantis natura calidior esset, & sitis vehementior, vacuato priùs corpore, & *Aqua.* ab excrementis repurgato. Si qui frigida bibere essent consueti, & plegmone nullum viscus laboraret, nec esset imbecille, frigidam sæpe exhibuimus copiosè, renibus ita corroboratis, è vestigio lapidẽ impactum, expulerunt.

Si post hæc omnia quæ diximus lapis adhuc firmiter restat vtendum est medicamentis quibus conterantur lapides, quæ tepidam facultatem habeant, nam calidam vrinam prouocantia, indurant lapidem, nam cum talis lapis cum ab intemperie & valido calore fit, ob id exhibemus, quę virtutem tepidam obtinent. Vt qui contraria iis sunt, à quibus lapis est effectus, &c. Cum lapis non constitit, neque magnus est, sed tantum obstructio fit, ab arenis, vel crassis & tenacibus succis, tũc calida securè porrigas, & quæ obstructiones aperient haud veritus ne lapidescat materia.

Tepida virtute ministranda.

Potenter lapidem diuidunt, Lapis iudaicus masculus pro renibus, femineus verò vesicæ, vitrum combustũ, lapis cappadox, & paliuri semen.

Si verò crassus succus in corpore subest, & vrinarum crassarum euacuatione sit opus, crassam vrinam agunt, Cardui Radix, Rubia &c.

Quod si frequentiùs vrinas ducere conuenit, ducent acorus pastinaca, assarum animi &c.

Quod si vrina in deponenda vrina

pigra fuerit, ipſam excitabunt, ſcordiũ, camedaphne, bryonie cauliculi.

Quæ verò mouendæ vrinæ habent vim, ea periculoſius lapidem pellunt, tẽperatura namque ſunt acri, & ob id calida & ſicca, inſupérque colligentis naturæ, & ſegregantis collectam ſeroſitatem. Sed quæ ignitas conſtitutiones non habent, rumpendo lapidi ſunt magis idonea, quia incidunt oportune, & minimã caliditatem obtinent.

Caliditas exiccando, porrum colligit, non incidit aut diuidit, quapropter quę minus calida, cũ hoc quod incidẽdi facultatem habent, ſunt meliora.

Gal. liber aſcriptus, De cura lapidis.

Et canon conferens in ſegregatione cauſæ huiuſmodi accidentis, per cuius aſſiduationem confido, quod ſecurabitur ab eo, eſt iſte. Dum tẽpus æſtatis perſeuerat, vſque quo pertranſierit plurimum temporis autumni, & deſcendat pluuia multa, tunc acceptio ℥ i.ſ. de Syrupo acetoſo facto cum aceto expreſſionis vuę acerbę, & medietatis ſyrupo violato cum ℥ v. aquæ in qua bullierint radic. feniculi ℥ i.ſ. cubebe cõtrite ʒ.i. do-

nec cõsumpta sit aquæ quinta pars & col lata, est cõuenienter. Sanat hęc omnibus modis in omnibus quindecim diebus.

Decoctio ciceris est bona, & in decoctione eius misceatur acetum quod destruit eius caliditatem, & roboret eius incisionem & eius abstersionem &c. Et ponatur in omnibus temporibus, in aquam cibariorum factorum & aqua ciceris nigri.

Quando erit hyems accipiatur de theriaca magna singulis decem diebus ℥.1. cum pauca aqua & syrupo de corticibus citri. Et vtatur cibario ex oleribus vrtice cum carne hædi in principio pastus, Cibarium olerum ex vrticis & cicla est benedictum, non repleantur comestione multum, immo dimittat de sua saturitate parum, & non laboret post comestionem penitus.

Simplicia, quibus vsus est Gal.

Acetum scylliticum	Adianthon
Anethum	Asparagus Regius
Aqua	Acorus
Adeps	Ægiptia
Althea	Bethonica
Apium	Bryonia

Bdellium	Lini ſemen.
Cicla	Leporina pellis
Citrum	Lac.
Cubebe	Mel
Camedaphne	Milium ſolis
Carduus	Petroſelinum
Camenulla	Polytricum
Cucumis ſilueſtr.	Paſſer troglodytes
Cucumis domeſticus	Peucedanum
Calamentum	Pulegium
Capparis.	Paliurus
Ceſtrum	Paſtinaca
Cicer	Polium
Damaſonium.	Rubia
Ficus ſemina.	Rubus
Fænugræcum	Saxifragum
Feniculus.	Spica nardi
Gramen.	Scordium
Hircinus ſanguis	Scylla aceto confecta.
Lapis capadox	Vrtica
Lapis Iudaicus	Vitrum combuſtum
Liguſticum	Veratrum
Lupinus	Vinum.

Auicenna li.3.Fen.18.tract.1.Cap.5.

Caliditas renum curatur exhibitione aquę lactis ex quo butyrum eſt extra-

ctum. Nam est vehementis extinctionis Renum, & camphora est vtilis valde in cura caliditatis Renum, & summa sitis fit frequens in hac complexione, & non conuenit prohibitio aquę frigidę.

In eodem cap. 18.

Intentiones in curatione lapidis sunt, abscissio materiæ eius, & prohibitio generationis ipsius, & fractio eius, & commotio eius ex suo suspensorio, cum medicinis quæ illud efficiunt.

In pueris prohibet lapidis generationem sumere album vinum, subtile permistum. Iuuantur à clysteribus leuibus. *Vinum albū pueris.*

Et ex prohibitiuis eius generationis, est vomitus post cibum, & multus vsus eius. *Vomitus.*

Balneum & tina fortasse faciunt ad lubricitatem eius &c. Multus vsus mollificat virtutem, debilitat renum virtutem. *Balneum.*

Dormire super dorsum, est ex eis quæ conferunt lapidi quia talis accubitus supinus, adauget renum caliditatem, & sic lapidis generationem. *Non dormiendum supine.*

Medicinæ comminuentes sunt amaræ, quæ non sunt vehementis caliditatis, & addunt in causam, & omne cuius in-

cisio est vehementior, Et cuius caliditas est minor, est melius.

Decoquãtur folia maluę campestris, & ponantur in decoctione eius, butyrum, & mel, De qua sumatur res plurima, lubricat enim lapidem, & prouocat vrinam, lenit iter & vias, & extrahit eum cum facilitate.

Idem Auicenna li. 3. tract. 2. Fen. 18. circa finem cap. 19.

Asparagi & proprie campestris, & aqua ciceris cum oleo carthami.

Balneum sulphureũ. Plurima balneatio in thermis sulphureis, frangit lapidem vt asserit Ruffus.

Ventose. Ventose ponantur infra lapidem & locum doloris, vt attrahat ipsum, deinde deponatur ab illo loco ad illum qui est sub eo ad inferiora, & suspendatur ibi.

Equitatio Equitatio tunc iuuat, non est semita ad ministrand. ipsum, certe lædit & nocet per illud quod facit descendere desuper, confuse magis atque magis obstruit, affatim materiam fluere in viis vrinæ &c.

Clystere cum eo ponuntur adipes & vnctuosa, & virtutes mollificãtes, & diu-

retice cum ſolutione ventris, frangit lapidem, & adiuuat ad extractionem lapidis.

Simplicia quibus Auicenna eſt vſus.

Aqua. aqua lactis. Allia, acetum ſcylliticum, Abſinthium, Aſparagus, Althea.

Butyrum, Bdellium, Coſti radix, Cicer, Carduus, Capillus veneris, Cortex radicis lauri, Camepitheos, Carthamus. Fimus columbinus & galli, Gumma pini Lapis iudaicus, Lumbrici terreſtr. Mel, milium ſolis, Ouorum corticum cinis, Penthaphyllon, Pulegium. Raphani ſemen, Rubi radix. Semen altheę. Scylla Scolopendra, Scorpionum cinis & oleũ, Spongiæ lapis, Sanguis hirci, Sang. leporis, Scarabei. Troglotydes, Vinum Vitrum.

AEtius tetra. 3. ſer. 3. cap. 5.

Quum lapis in renibus obturatus fuerit, & vehementiſſimos dolores intulerit. Sanguinis etiam multitudo, periculum minitantis, materias tenſione ad affectam partem auocat, ob acutos videlicet dolores. Væna igitur cubiti propinquæ manus in corpore ex repletione affecto ſecanda eſt. *Sanguinis miſſio.*

Verùm multo minus euacuãdum eſt, quam ipſa repletionis copia expoſtulat, neque enim futuram ſperamus, vt omnino cito ê renibus excidat lapis, prę ſertim ſi magnus exiſtat, quare ſeruare oportet ſanguinem, in eam quę cum tempore futura eſt in corpore expenſam. Itaque ſi ſanguinis multitudinem congregarunt, eis venę ſectio commoda exiſtit.

Purgatio. Qui verò vitioſo humore abundant, eis purgatio apta eſt.

Poſt ſanguinem euacuatum, aut expurgatos humores, communis ad omnes calculoſos curatio quam infra ſubiecimus adhibẽda, doloribus igitur paulatim aut repente irruentibus, & per arenularum cum vrinis excretionem auctis, deindeque vrinis aquoſis excretis fundere oportet, Furfurum, caricarum, apij, fænugreci, & ariſtolochie, & ſi quidem decenter euacuentur ſinere, Si verò nõ, etiam bis aut tertium infundere, atque id maxime, ſi venæ ſectæ, aut purgationis auxilium ſit relictum.

AEtius in tetrabibli quartæ, ſermone quarto docet quomodo eſt calculus in vtero mulieris contentus, aut in veſica, extrahitur.

Cæterùm leniendæ & laxandæ inflā-mationes, id ipſum oleum anethinum facere poterit, adipe gallinaceo recenti in eo eliquato, & maximè anſerino, & phaſiani, aut butyro, quæ ſi non adſint, etiam fęnugrecum & altheæ radicem oleo decocto infundemus.

Inſeſſiones itē in balneis aſſumendę.

Fomenta quoque locis admota, commandant ex furfuribus.

Poſt fomenta, conueniunt cataplaſmata, ex farina tritici, oportet autem coaceruatim, alia ſuper cataplaſmata adferre priuſquam frigeſcant. *Cataplaſma.*

Idem AEtius.

Multis enim ad lapidis eiectionem per vrinam, hæc ſola ſuffecerunt. Verum etiam ea quæ vrinam cient præbibanda dato. Vrinam autem multam ducit mei athamantici, Phu pontici, Acori, Graminis, & nardi decoctum, calami aromatici, ammi, dauci, oreoſelini, hyperici Roſmarini, azari, radicis aſphodelli, radicis bryonie decoctum, coccus item tinctorius, Ex eis ſingula, eiſque ſi multa, tum per ſe, tum inuicem permixta data, vrinam manifeſtè cient. Craſſa autem lotia

ducit, Radicis cardui decoctum. Radicis rabiæ, Radicis cortex capparis potata.

Exſuſcitat autem facultates ad excretionem irritando allium, camedaphne, aſparagi vitis albæ, aſparagus tertiũ ſcylle decoctum, primo ac ſecundo diffuſo. Deducunt autem ad renes, ea quæ calculos confringunt, Peucedani radix, Bryonie, Apium Radicula.

Cæterum lapides ipſos in renibus cõfringunt & atterunt, ſium, adianthum, bdellium, viticis ſemen exymirſines radix, Lauri radicis cortex, Paliuri ſemen tribuli decoctum, ſarxifagi, betonicæ, radicis graminis, Damaſonij radices, ciceris iuſculum, Radix cypperi, lithoſpermon, techoliton, à liquefaciendo lapidẽ dictum Lappe ſemen, aſparagi paluſtris radices, vitrum combuſtum tritum. Altheæ ſemen & radix illius, Rumici domeſtici radix, pruni arboris gummi, ex ſpongiis marinis lapilli, vermes terreni cocti, ſingula partim decocta, partim tenuiſſime trita præbeto bibenda.

Porrò & quæ vrinam cient, ac lapidem frangunt, tunc exhibere conuenit, quum vehementes dolores remittunt.

Transmoto enim lapide, & ex sede agitato, lapides quiescunt.

Si obfirmati sunt lapides, plurimus potus vitandus. Item ea quæ vrinam ducunt, fomentis autem & cataplasmatis, ac insessionibus, membra relaxanda, & venter per infusa ac incessus euacuandus. *Potus.*

Post hæc autem doloribus aliquantulum lenitis cucurbitulæ adhibentur. *Cucurbitulæ.*

Cæterùm si calidius ægri sit corpus, sitísque vehementer infestet, sit autem vniuersum corpus iam per venæ sectionem, aut purgationem præeuacuatum, ac nulla superfluitate abũdet, siquidem consueti fuerint, ad frigidæ potum, & nullum ex visceribus debile existat. Frigidam aquam frequenter & aceruatim ægro bibendam exhibuimus, & confestim corroboratis renibus, obturatum in ipsis lapidem expulerunt. In repletis autem corporibus & abundantibus superfluitatibus, & in his qui viscera debilia habent, vitare oportet, frigidæ potum. *Frigida aqua quibus concedenda & quomodo.*

Accubitus obseruandus, vbi lapis *Accubitus.*

colum veſicæ occupat &c. vide textum. Ibi docetur quomodo cathetere vtendum.

Incisio. Lapis in ſummo pudendi, fortiter obturatus, ſecare ſtatuimus, vulnuſculo, ſuperne, iuxta glandis magnitudinem incuſſo.

Ferrandus, Rogerio mercatori apud Pictauos, ita factum eſt, cum felici exitu, & adhuc ſuperſtes eſt ſine noxa ſeu dolore. Nota quod inferne ſecare non expedit, quandoquidem ferè ſemper, in fiſtulam procedit &c.

Concoctioni ſtudendum. Maximi ad lapidis generationẽ præcauendam momenti, moderatus cibus, & bonæ coctiones exiſtunt. *Satietates & cruditates.* Satietates enim & cruditates, non ſolum exaſperãt morbum, ſed etiam cum non ſit generant. Quare ægros admonere oportet. vt

Vomitus. A cæna vomant, & aſſiduè abſinthium bibant.

Aqua per colata. Aqua per victum, puriſſimam eſſe & percolatam.

Vinum. Vinum tenue album, vrinã ciens, ſaltem fuluum.

Exercitiũ Exercitamẽtis mediocribus vtẽdũ eſt.

Maligna corporis conſtitutio eſt, in qua

qua renes lapidem generant, vniuersi vero corporis natura gracilis existit. Etenim quum lapide laborantes, pharmaciis & victu indigeant attenuatoriis, Hęc ipsa gracilibus corporibus maximè contraria existũt, talibus media inter ea quæ impingant & attenuent esse oportet. Nota

Post exactum lapidem & cicatricem vlceri obductum, dieta constituenda est, ne eos renasci contingat.

Omnes igitur quomodocunque calculosi, à cæna assiduè vomant, Neque quicquam feruens in cibo sumant, quod renes & vesicam excalfacere possit. *Vomitus.*

Cauere autem conuenit, cibaria dare substantiæ, & quæ egre manducatione atteruntur, Item ea quę multam substantiam habent, plurimúmque similiter nutriunt, & quæ aceruatim digeruntur, antequam perfecte concoquantur, grauis item qualitatis, & quæ difficulter commutantur ac supernatant: & egre per aluum subeunt ac inflant, item quæ meatus obstruunt, aut alias diutius in corporibus insident, ex huiusmodi cum cibis venter labore fatigatus, ipsos aut crudos aut semicoctos, ad hepar & renes dige- *Victus ratio.*

rit, atque ita quod crudum, cumulatim allatum eſt, inepte præter quæ naturam excolatur & cum tumultu ad renes progreſſum, ſtatim coactum inſpiſſatur, ac

Lac. reſiſtat. Quare omne lac præter aſininũ eis incommodum eſt(hoc enim archigenes)& ſubſtantia tenuiſſimum eſt, & facultatis difficillimè diſſoluentis, igitur mirabiliter articulorum tumores & nodos (quos calloſæ duritie)modum ex vitioſi lactis vſu, pueri ſuſtinere coguntur leuigat & delet, vnde admonendũ duxi, vt ipſum calculoſis aſſidue heminæ mẽſura exhibeatur poſt matutinas deambulationes, atque id adſeruandi à lapidis generatione gratia præ omnibus fiat.

Aqua. Potus alias ſit aqua calida, fontana, pura, defecata, leuis.

Vinum Vinum autem tenue vrinam ciens, non valde vetus, dulcia enim vina, ſunt calculoſis nociua.

Dieta Porrò vt compendio dicam, Omnis dieta in frigidiore corpore, præditis, exquiſitè attenuatoria ſit, in calidioribus verò, inter attenuatoria & impinguentia media.

Satietas. Satietatem præ omnibus vitare opor-

tet, dulcium præsertim & ex caseo conflatorum ciborum.

Cruditatem eis infestissimam censere oportet in quam si quando incidant, impastos & absq; cibo, manere oportet. *Cruditas.*

Frigora magis quam æstus cauenda, Verùm temperatis locis degant, in quibus, anni tempora & horæ nimio feruore non infestent. *Frigus.*

Deambulationes otiosę assumantur, & exercitia moderata, Segnities enim & otium, eis nocet. *Exercitiũ*

Ventrem laxum semper hábere oportet, hic enim si bene subierit, puriora lotia prodibunt. *Venter mollis.*

Vnguentis vtantur quę locos deffendere queant, ne facilè grauius oblędãtur.

Epithemata etiam rubefacientia, itẽque lancinantia dropaces, & sinapismi, adhibeantur.

Bibant autem quæ vrinam cient, per interualla, quædam tum simplicia, quædam composita præscripta.

Aiunt quidam terram ex latere vetere tritã cum vermibus terrenis, & pectini crassitius illitã, præparare vt lapis in vesica aut renibus per lotium eiiciatur. *Terra ex latere veteri.*

Simplicia quibus vtebatur AEtius.

Aqua lactis.
Aqua
Anethum
Adeps
Althea
Ammi
Assarum
Asphodellus
Allium
Asparagus
Apium
Adianthum.
Butyrum
Bryonia
Bdellium
Bethonica.
Calamus aromaticus
Carduus
Coccus tinctorius
Camedaphne
Cicer
Cyperus.
Daucus
Damasonium
Fænugrecum
Furfur.
Gramen.
Hyppericon.
Laurus.
Lithospermon
Lappa.
Lac.
Malua
Mel
Meon
Nardus
Oreoselinum
Peucedanum
Paliurus
Pruni gummi.
Radicula
Rumex.
Spongiarum lapilli
Scylla
Sium
Saxifraga.
Ferra ex veteribus lateribus.
Vermes terreni
Vitrum
Vinum.

Paulus Aegineta lib.3.Cap.45.

Cæterum in renibus, quæ calculos comminuant,atterant,incidántque vtendũ medicamentis eſt, non tamen excellẽter calorificis,cuius farinę vtique ſunt, Baſilicorum aſparagorum radices, Rubíque, Vitrum concrematum, graminis Radix, Adianthum, Bdellium, Lauri Radicis cortex,althcę ſemen, cicer nigrum arietinum,ſpongiarum calculi.

Lauacris iugiter vtendũ, & à lauacro confeſtim aliquid eorum quæ commemorata ſunt potent. *Balnea.*

Aſperginibus inſuper, cataplaſmatiſque & fomentis,inſeſſibúſque relaxantibus,atque iis quæ ſolatio ſunt,placántq; vtendum. *Fotus.*

Compoſitæ potiones probantur,Ruthæ agreſtis,& maluę ſilueſtris, apij Radices cũ vino elixatæ,liquorémque inde expreſſum, aqua infractum cochlearibus binis exhibeto.

Dolorem plerúmque placant,ſanguinis admiſſa detractio,ociſſimè ad excretionem propellendo calculum. *Phlebotomia.*

Arcent creationem calculi,primum quidem cibaria non improbi ſucci, & *Victus Ratio.*

moderata, mox etiam & exercitationes & insolentior leguminum omne genus. Frumentaceorúmque vsus, Casei item & lactis, quæque inde preparantur obsoniorum, vini ad hæc atri, & carnium abundantiæ, & vt semel omnia complectar, Omnium quæ crassum generant succum, quæque admodum sunt calidæ potestatis, & acria hydrogarorum, atque conditorum, haud enim hæc modo non dum natos calculos concrescere prohibent, sed iam ortos, etiam comminuere aut excernere possunt. Bibant verò oxymelli adiecto aliquo ex simplicibus, quę lotij proritandi vim obtinent, puta, adianthi apij graminis.

Aqua. A balneo ieiuni, ante vinum, egelidam aquam hauriant & in medio prandij gelidam, nisi quid obstet superbibant.

Si prauorum humorum copiam olfecerint, sensúque perceperint, sanguinis detractione, seu alui deiectione euacuentur.

Aqua. Verùm ad tutelam ne generantur calculi, omnium primum bonitatis honorem meruit, Post balneum, ante vinum

nutrimentúmque aliud, aquæ tepidæ potus.

Sed vesicę puerorum calculos efficacioribus remediis delectu quidem è prędictis habeto.

Si calculus supramodum increuerit, & ceruici vesicæ impegerit, quassatu tubuli, vel lithotomia perinde atque in volumine de chirurgia dicetur vti consilium est.

Paulus AEgineta li.1.ca.100.in epistola ad Antigonem.

Cùm hęc apparuerint præsagia, (in capite de prædictione signata) odoratis lotia impellentibus opem ferre conuenit, sine periculo; sunt verò fæniculi apiíque radices, in vino albo odorato macerandæ, vnde ieiunus in matutino quotidie duos cyathos cum aqua smyrnij, dauci, enulæ campanę, quodcunque horum ad manum sit. Iuxta enim singula iuuant, cicerúmque maceratarum, aquam si cũ vino potauerit idem consequetur.

Paulus AEgineta li.3. Ca.de Vrinarum partium abscessu & exulceratione.

Nos verò in vetustioribus, hoc vsi nunquam alio exquisitiore indiguimus. *Nota.*

℞ Camedryos, camepytheos añ. ℥ xxiiij. azari piperis albi añ. ℥ vij. cinamomi ℥. I. quam fieri poteſt leuigatiſſimi cochlearia duo exhibemus, cum paſſo cretenſi, at ſi febricitant, cum aquæ cyatis ternis. Si mordax vlceratio, amyli heminis duabus, & ſeminis cucumeris quindecim adiectis, voti compotes euaſimus. In veſicam alborem oui cum pompholyge adiecimus.

Simplicia Paulo AEgineta in praxi communia.

Aſparagus	Feniculus
Adiãthum	Gramen
Althea	Laurus
Apium	Malua
Aqua	Rubus
Azarum.	Rutha
Bdellium.	Piper album
Cicer	Spongiarum
Camedris	Calculi
Camepith.	Smyrnium
Cinamomum	Troglotides
Daucus	Vitrum
Enula campana.	Vinum.

Matheus de gradi in 9. Rases ad Almanſorem Ca. De egit. Renum & veſice.

Stante dolore, cauendum eſt à medicinis fortiter mouentibus, & eſt tantum occurrendum cum mitigantibus dolorem, quæ intentio completur, cum lenitiuis clyſteribus.

Et alibi in eodem ca. Nam in via executionis, primo factis euacuationibus, ventre purgato clyſteriis appropriatis, & mundificato ſtomacho, & viis de materiebus communibus, cum vomitu & caſſia, ordinata conuenienti dieta, Primum ad comminuendum lapidem debemus intendere cum balneo, deinde facere inunctiones & cerotaria ſupra femur, Et conſequenter imponere de oleo ſcorpionum infra veſicam continuatis aliquibus diebus, Si non rumpatur lapis, poſſumus conſequenter homine ſtante in balneo dare ſibi de pillulis in textu ſcriptis, & quæ ſcribentur à nobis in ca. ſequenti, in quo agetur de medicinis compoſitis lapidem frangentibus. Item eſt neceſſaria applicatio diuturna medicaminum & continua maximè ad frangendum lapidem in veſica, quia Raſes in

ſuo textu, ponit quadraginta dies.

Eſt aduertendum in applicatione tinarum emplaſtrorum mollificantium, quod non ſit ſuperfluitas in eis, immo exhibeantur cum quantitate, quæ non mollificet ſuperflue virtutem .i. relaxet virtutem,& debilitetur expulſiua. Vnde infirmis non eſt conſentiendum, vt frequenter intrent balnea,& longo tempore morantur in eis &c. Non eſt tanta vtilitas in ſumendo continuas medicinas quanta eſt in continuatione regiminis, quia ſemper ad medicinas ſequitur in virtute aliqualis læſio. Sic medicinarum vſus aſſiduus verendus,&non regiminis rectificatio.

Raphanũ &glychirizam commẽdat.

Stante materia in renibus, magis iuuant clyſteria,quam data deſuper, quoniam quæ dantur deſuper, conuertunt materias deorſum, etiam verſus renes, & maxime ſtante dolore in renibus,Clyſteres verò diuertunt à renibus & à viis proximis.

Vomitus Clyſter Balneum.

Vomitus in principio curationis ordinandus, Dein clyſter ſequatur, Poſteà balneum &c.

Sed nunquam ſtante dolore, & actu lapide in renibus debet exhiberi medicamen ſolutiuum, Verùm clyſteria pinguia, Similiter de frangentibus lapidem eſt ſtante dolore abſtinendum.

Seneſciones & creſſones ſuper tegulam calidã poſitos vino albo irrorando, ſuffumigium capiendo in cathedra, mirabiliter iuuat lapidis excluſionem, idẽ præſtat pellis ericij cum ſuis ſpinis ſuffumigata.

Fiſtici fructus laudabiles. Nam illis, inest virtus, qua comminuitur renum lapis. *Fiſtici.*

Cinis ſcorpionũ mirabilis iuuamenti, & ibi ſcribitur modus faciendi. *Scorpionũ cinis.*

Corpori plethorico, primo baſilica aperienda, poſt ſaphena, alias conuerterentur materiæ ad renes. *Phlebotomia.*

Raphani aqua mirabilis in hoc affectu & glychyrriza.

Aqua caſei in corporibus calidioribus, iuuat ſua abſterſione.

Clyſteres in parua quantitate exhibe.

Iacobus Syluius in ſua methodo medendi Cap. Calculi in renibus præcautio.

Lapis in renibus prohibetur gigni,

primo fuga eorúmque pituitam gigni (calculi materiam) in corpore augent, ſunt alimenta craſſa, frigida, lenta &c. cibus largior, &c. Sumendi enim ſunt cibi euchymi & parcius quam pro appetentia, Secundo pituitam nobis imprudentibus genitam, ne ad renes ruat, ad inteſtina retrahemus clyſtere leniente, bis in ebdomadas iniecto, vel caſſie ℥.I. in ebdomadas ſumpta, vel tantumdē dyacaſſie, quod ex caſſia & ſaccharo & decocto glychyrrize & baccarum halicacabi fit, vel terebinthinam ab ſemiuncia ad ℥ ij. pane miſſali in vino merſo inuolutam, vel iure capi ſolutam & liquatam. Tertio materiam pituitoſam ſi qua in rene hęſit, ne in eo lapideſcat, expellemus vreticis, vt decocto cicerum, præſertim cum glychyrriza & ſaccharo ab ℥ vj. ad octo, accepto pridie medicamento leniente. Quarto calorem renum cauſam effectricem temperamus admoto renibus inter duas telas cerato galem vel ſantalino, ſed poſt quartam partem horę ablato, & aliquoties in die dum refrixit, reddito, &c. Vitamus autem adſtringentia, ne viis adſtrictis, materiam retineāt, Æri

externo lũbos aperimus,pelles, plumas calorifica cætera, lumbos tangere prohibemus.

Calculum in renibus expellimus, ipſum frangentibus,vias lubricantibus, aperientibus,dilatantibus, & vrinas mouentibus, Sumpto prius ad vias lubricãdas, caſſie bolo cum oleo recens extracto ex amygdalis dulcibus non raucidis.

Calculum frangunt, quædam qualitate manifeſta,vt pulegium vreticum,& anaſtomaſtica, calamintha briganum, lithoſpermon, ſaxifraga vulgaris, decoctum radicis graminis.

Secretum quibuſdam remedium, Amygdalæ amaræ, ceraſorum nuclei & perſicorum manſi, vel triti cum vino albo deglutiti &c.

Alia tota proprietate occulta in renibus calculum frangunt lapis iudaicus ſapore iucundos præditus, Vitrum ſepties combuſtũ, & toties aqua ſaxifragiæ extinctum, Item pul.mandibularum lucij. Secretum quibuſdam remedium ʒ. I. cũ aqua Raphani. Puluis quoque ſcorpionis ad ℈ ß, valenter frangit calculum. Oſ- *Oſſa humana.*
ſis humani ex ſepulchro limatura ex vi-

no pota, dolorem renum mox ſedare quibuſdam probata eſt. De ſanguine hirci nota, Auicula quoque moticella ſeu cauda tremula vulgo, furno ſiccata, in id efficaciſſima videtur, item vulgo quæ meſſanga gallorum dicitur. Bethonica quoque ſeu ceſtrum &c.

Clyſteres quoque anodini ſunt ſalubres, Largior autem quam libra vna iniectio, renes pręmēdo eſt dolorifica magis ob id vitanda, ſed frequentia copiam ſuppleas.

Lūbi illinantur oleo ſcorpionū. Veſica etiā plena decocto chamameli &c. Vel ſpongia eodē madefacta & expreſſa.

Sumantur verò ſępe iura pinguia, aut etiam plures decocti maluæ vel altheæ cum butyri recentis ℥.i. mellis roſati ſeſcuncia.

Sumantur etiam ſyrupus acetatus cōpoſitus, oxymeli Bizantinus acetatus, de radicibus cum duplo aquæ bethonicæ.

Si ventriculus imbecillam vim coctricem, roboretur litu, ex oleo abſinthij menthe, cum galanga mace Roſis caryophilis, ne pituita largior in eo propter imbecillitatem genita, in renes confluat,

aut à calculi remediis trahatur, quæ vsta, lapidem augeat.

Lapis in vesica, vt in renibus curandus, sed valentioribus remediis, quia durior est, & longius ab ore per quod remedia sumuntur abest, &c.

Confert ad præseruandum ℥ ß. terebinthinæ abietis in aurora in pane missali inuoluta.

Pillula elephangina singulis diebus deuorata.

Petrus Bayrus li.14. De affectibus Renum & Vesice.

Prę̨seruãtia à generatione lapidis, obseruatio debita regiminis sex rerum naturalium, & debitè vniuersales purgationes bis in anno, scilicet vere & autumno, deinde particulares.

Vniuersales purgationes, fiunt cum rebus leuibus, renes tamen & vias vrinæ respicientibus.

Confert etiam ad pręseruãdum dare ℥ ß terebinthinę abiectis in nebula vino madefacta.

Comedere vrticas virides in cibis, aut siccas pulueratas, pręseruat à generatione lapidis.

Semen geniſtę mundificat renes ab omnibus ſuperfluitatibus,& non permittit materias in eis figi, Doſis eſt,ʒ ij. vel ʒ iij.cũ melle Roſaceo,Roſis,& maſtiche.

Decoctio maluæ campeſtris in brodio caponis ʒ. i.mel.Roſati vel butyri recentis, eſt laudabilis ſi bibatur lib.i. ante paſtum calide horis duabus.

Idem Ca.3 in eodem lib.

A leuioribus incipe,nempe clyſtere.

Vnge latus oleo ſcorpionum,fomentáque parietaria & ſeneſcione ſuper tegula calefactis, Dein ad prædicta recurre. Quia futurorum pręſeruatio morborum eſt ſimilis correctioni iam generatorum.

Non eſt ceſſandum à fomentis , vnctionibus clyſteriis ſecundum exigentiã donec exeant calculi.

Si dolor inualeſcat,& calculi non exeant,nullum eſt ſecurius remedium,balneo &c. Et ſi opus ſit Balnei iteratione, fiat bis aut ter , & non eſt ei remedium ſimile.

Geniſta bis. Semen geniſtæ mundificat renes ab omnibus ſuperfluitatibus , & prouocat vrinam fortiter,&frangit lapides renum

& veſicæ

& veſicæ, dozis eſt ʒ ij. vel iij. cum melle &c.

Cetherac folia.

Cortex Radicis lauri.

Medicinarum quæ ad calculos miniſtrantur, Quędam ſunt quæ commiſtę faciunt alias penetrare vt, calamẽthum, piper, cinamomũ. Quædam ſunt quę extrahunt ſuperfluitates craſſas, ſicut fenugrecum, Daucus, Phu, Meu, Azarum, Acorus, Ammi, Leucoïum, ſemen ſezeli, Agnus caſtus, Squinãtum, Cordumeni. Quædam dolorem ſedant, vt ſemen lini & eius muſcillago, auellanæ, ſemen altheæ. Quædam confortant, vt Been, Ariſtolochia longa, Lilium ſiccum, ſemẽ agni caſti, Roſæ, Balauſtiæ, Santali, Squinantum.

Elixatura foliorum lauri, in ſacculo poſita, ſedẽdo ſuper eo calido, ſedat dolorem veſicæ.

Idem Bayrus cap. 5.

In pueris & infantibus calculo veſicę affectis, Da in principio radicem peoniæ in cibo, & potu, præſeruat enim eos, & curat.

Balneetur quotidie in aqua decen-

ter calida & da illi de medicamento ſequenti.

℞ Olibani & matricarie añ. & confice cum melle, Et da quantitatem auellanæ pro dozi mane & ſero.

Serpilli ſemen fomentatum & bibitum confert difficultati vrinæ, & lapidi. Gummíque amygdal. cum vino.

Lumbrici terreſtres ſiccati puluerati, cum vino albo . Et quamplurima alia, tam ſimplicia quã compoſita deſcribit.

Idem bayrus ca. 6. De Vlceribus Renum & Veſicæ.

Ferrãdus eſt vſus bono ſucceſſu

Cauda equina comeſta aut bibita ſanat veſice vlcera, Nenupharis Radix bibita, ſanat veſicæ dolorem.

Philonius li. 5. Ca. 18.

Corporibus plectoricis calculum patientibus, ante perfectam materiæ ſolutionem, & materiæ antecedentis expulſionem, fortia diuretica non ſunt tribuenda. Nam illi humores ad vrinalia membra expulſi, ſuperfluitates augent, lapidis materiæ augmentum præſtent, & igneum calorem in renibus vrgere faciunt.

Cibaria acuta, ſalſa, acetoſa, multum

dulcia, vitanda. A cibo exercitiũ fugiant.

Vtantur lacte ouino.

Ferrandus, pro fotu & aspergine renum laudabile, pro potu asininum prę-ferendum.

Aliquando trociscis albrebrangi & aqua mellis ad mundificationem est vtendum. Et post res consolidantes ministrandæ.

Læduntur à calidis diureticis, Si apostema est in vesica, vrinam prouocare non decet.

Clystere attractiuum in principio & augmento dimittend. sed mollitiuo dũtaxat vtendum.

Repercussiuis non multo tempore vtendum.

Algaria seu serynga vel catheter in principio non apponitur.

Vesica vento referta maximè bouina, impletur decocto camale, meliloti, rad. altheæ, selini, & loco doloroso calido applicanda.

In dolore intollerabili, narcoticis vtẽd. apostemate rupto omnino abstinẽd.

Cum anodinis aliquando narcotica miscenda vbi adest vehementia dolorũ.

Cibi lacte mixti, caſeus, carnes Bouinæ, Caprinæ, lac, carnes auium aquaticarum, carnes ſalſæ, & ſimiles vitandæ.

Piſces non ſquamoſi mali.

Panis azimus malus, verum ſit fermentatus, mixtis gith maratro & aniſo.

Aqua aut vinum turbidis, pernicioſa ſunt, item vinum dulce & nigrum.

Poma immatura, caro citri, caules, legnia omnia, ciceribus děptis, oua frixa vel indurata, Frigide potus omnia nouerca.

Nuclei amygdalarum amararũ, perſicorum, ceraſorum, pineæ, vuæ paſſæ, Summitates paruarum vrticarum, radix eringij condita & non condita, ſunt ex vſu.

Saliua mane comeſta vel bibita, bona.

Dionyſius Fontanonus, in ſua praxi.

Aluo vacuata, ſi ægrotus corpus robuſtum habuerit & plenitudinē laborãs, ſanguis è vena poplitis, cruris ſtupentis, quod eſt è directo renis patientis mittatur, ne ſanguinis multitudo, ob dolorem & tenſionem in particulam patientem procumbens, dolorem augeat. Si verò

cacochymũ fuerit, vitioſo humore purgetur.

Priuſquam lapidem expellentia, & comminuẽtia exhibeãtur, mitigetur dolor, & ventriculus repurgetur.

℞ Lithontripos ℥ iiij. Sumatur ʒ I.ß. mane horis quatuor ante paſtum, cum iure cicerum Rub. aut vino albo, aut decocto Rad. graminis. Similis quantitas de Iuſtiniano ſumpta, idẽ præſtabit. Laborans ſi valde ſit extenuatus, reneſque ſiccos habeat, addatur ℥ iiij. Lithontripos, ſe papaueris albi & melonum añ. ʒ. I. Et renes vnge ſępe oleo ſcorpionũ compoſito.

Bis in ebdomada in lecti ingreſſu vngatur frigidè Regio renum &c.

Iacobus Holerius in lib. De morborum curatione, Ca. 45.

Medicus excludendo calculo laborans, alternis diebus det horæ dimidiæ ante cibum ℥ ß. caſſie cum ſyrupo violaceo. Dein, vnctionibus fomẽtis balneis, & remediis relaxantibus vtatur, præcipuè oleo in quo radices altheę coxerint, item iuſculis malua biſmalua, adiectis ciceribus rubris cum multo butyro & mo-

dico ſale, Dein remediis calculis excludentibus vtitor vt oxymelite &c. Oportet autem remedia hæc interuallis repetere, leniendo, laxando, excludendo, vitanda tamen ea ſunt, quæ nimium ſiccant, quæ craſſarum partium ſunt.

Habitus corporis ratio ineunda eſt, obeſum corpus magis tenuantia, gracile verò minus perferre poteſt. Sic loci, temporis, anni, ætatis, &c. meminiſſe oportet.

Idem Holerius in eodem lib. cap. 45.

Clyſter lenis, fomentum, vnguentum bolus, phlobotomia, molliantur viæ caſſia & Rhabarbaro ceſſante dolore & vomitu, Deinde terebinthiam. Poſteà oleum amygdalarum dulcium cum alphenice, vel dyatragantho, hinc cataplaſma moliens: poſtremò quæ comminuunt.

Inueteratus calculus paulatim atterandus alioqui fruſtra contendimus excludere, vbi iam durior & maior ſubſtantiæ reni impactus & quaſi actis digitis & radicibus inhęſit fruſtra oppugnatur.

Ferrandus, in ſuo Rene dextro à lon-

gis annis calculus eſt impactus, nec mollitus illum excludere, ne illi deterius contigeret, vt puta vlcus. &c.

Infinita ſunt prope remedia, in veterum libris ſed cum delectu eligenda.

Sunt qui iniecto oleo ſcorpionum & aliis per penem contendunt frangi poſſe, Vidimus mulierem quæ vnctione & ſuctu multos liberauit.

Antonius Gaynerius.

Pharmacum ſolutiuum & diuretica, in principio nociua, verum ſolis lenitiuis vtend, &c.

Ibi quamplurima remedia deſcribit &c.

Sanguinis hirci & fermenti aëris añ. miſce in forma emplaſtri loco dolenti applica, vel galbanũ cũ oleo ſcorpionũ.

Idem Gaynerius cap. 8.

Multa ſimplicia lapidem comminuẽtia deſcribit vt pote.

Vrtica, Raphanus, Carduus comeſtibilis, Capparis, Eringiũ Lappa, Cicera nigra, Semen geniſtæ, Amygdala amara. Oleum amygdalorum amarorum cum puluere Ireos, Et quãplurima alia in dicto octauo capite contenta.

Idem Cap. 9.

Sanguis hircinus & ibi ponit mod. præparat.

Sanguis Cerui, Sanguis Vulpis
Sanguis Leporis Vitrum combuſtũ.
Scorpionum cinis Oleum ex granis citri, citrangulorum & nucleorum ceraſorum, potui præſtantiſſimum remedium.

Vermes terreſtres &c.

Ferrandus data opera, placita nonnullorum cum antiquorum tum neoticorum, huic collectioni deſcripſit, vt beneuolus lector cognoſcat, Omnes illorum numeros & ſententias, deſumpſiſſe à numeris & decretis, Hippocr. Dioſcoridis, Galeni, Auicennę, Ætij & Pauli Æginetæ. Sed aliis verbis forſitan elegantioribus duntaxat ſunt vſi.

De ſimplicibus deturbantibus lapidem, & Vrinam mouentibus teſtimonio Hippocratis, Dioſcoridis, Galeni, Auicennæ, AEtij, & Pauli AEginetæ, nonnullorúmque aliorum Re medica illuſtratorum probatorúmque &c.

IAM ad ſimplicia quibus pręfati ſex doctores ſunt vſi accedamus, vti valeamus præſcribere ægris noſtris, iuxta mentem & doctrinam illorum. Nam nonnulli in principio morbi, ſunt miniſtranda, quæ circa augmẽtum, parum aut nihil prodeſſent, Et quæ in augmento, ſi in principio miniſtrarentur, admodum nocerent. Sic in corpore macilento, ſunt longè alia miniſtranda, quam in pingui & obeſo, ſicut prædicta nos monent & docent. Quorum doctrina fulti, vix medici in praxi poterunt ægros lædere, verùm iuuare. Quibus neglectis, praxis illorum non carebit vitio, ægrorúmque periculo.

Acorus ſeu aſſaron.

Dioſcorides li.1.ca.2. Calfaciendi vis & natura Radici eius eſt. Cit vrinam po-

ta,& vrinæ ſtillicidio prodeſt.

Gal. De Renum affectus dignotione & curatione, quod ſi frequentiùs vrinas ducere conuenit, aſſaron & acorus ducent.

Gal. li. 6. De compoſitione medicamentorum ſecund. locos.

Aſſarum autem, per vrinam deducit vitioſos humores.

Gal. li. 5. De medic. facultatibus. Aſſarum & eius generis reliqua, abſolutas vteri purgationum retentiones ſanant, Nam talia quoque vrinam promouent, ſed ab ipſis vreticis vocatis medicamentis, hoc ſolo differunt, quod non vehementer deſiccent.

Idem li. 6. De medic. facult. ſimplicium, Aſſaron huius herbę radices, ſunt facultate ſimiles acori, intenſiores tamen. Itaque ex iis quæ de illis prodita ſunt, hic facienda coniectura.

Idem libro De catarticis. Purgat renes acorus.

Idem lib. 3. De temperamentis cap. 1. At acorus cum nobis eſt admotus, calfacere aptus eſt non tamen in flammam vertitur.

Idem De ſimplic. medic. facult. li. 6. Acorus huius radice vtimur quæ guſtu acri eſt &c. Et ſane ordinis eſt tertii in vtroque in calfaciendo & deſiccando ſcilicet, hinc conſentaneum eſt vt vrinam moueat.

Idem De Catharticis, veſicæ cenotica, euacuat & purgat veſicam acori apozeam.

Auicenna De acoro.

Auicenn. li. 2. tract. 2. Acorus calidus eſt & ſiccus in principio ſecundi, vſque ad medium abſtergit, ſine mordicatione, aperitiuus prouocat vrinam, & confert diſtillationi vrinæ.

Idem in eodem li. Vrinam autem multum ducit, Confortat veſicam & Renes, radicis decoctum.

AEtius de Acoro.

Ætius tetra. 3. ſer. 3. Quę vrinam cient præbibenda dato in principio curationis, vt acori radix vel aſſari.

Idem tetrabibli. 1. ſer. 1. Aſſari Radices in vſu ſunt, acori radicibus ſimiles. Verum magis intenſe.

Paulus AEgineta De Acoro li. 7.

Aſſarum acoro aſſimilis eſt potentię, ſed paulo magis intenſe.

Acetum ſcylliticum.

Hippocrates de ratione victus in morbis acutis.

Acetum mulſum vrinam proritat.

Dioſcorides li. 6. Ca. 7.

Acetum ſcylliticum datur vtiliter, concreſcentibus in veſica calculis. Cauendum tamen intra corpus exulcerationibus, capitis doloribus, & neruorum infirmitati.

Galenus De Renum affectus dignot. & curat.

At ſi in Rene calculus defixus ſubſtiterit, ſimpliciter acetum ſcylliticum aſſumere oportet.

Idem lib. De oculis. Medicina attenuens & incidens, nimietate caloris, lapidem frangit, vt acetum ſcylliticum, quod eſt frigidum & tenuium partium.

Idem De cõpoſitione medic. ſecund. locos li. 3. ca. 3. Vbi igitur per profundum ventriculi fuerit extenſa humiditas craſſa quæ ſit & viſcoſa, opus, eſt miſtura pharmaci attenuatorij, & ita ſi dicere li-

beat, perroſini, quale eſt acetum & acetum mulſum.

Idem li.5.De medic. ſimplic.facultat. At quę minus ſunt calida, meliora quoque ſunt, velut acetum ex ſcylla confectum, & quæ ſunt eius generis.

Idem li.10.Methodi medendi, At quę quidem abſolutiſſime tenuium partium ſunt, ſubſtantiam exactè frigidam inueniſſe fortaſſe non eſt, dixi exacte propter acetum quod omnium quod nominis poteſtate refrigerantium planè tenuiſſimarum partium ſit, admiſtam ſibi aliquam caliditatem habet. Præterea corpora quæ contingit ſiccat, quamuis ad imaginationem ſit humidum.

Idem Gal. libro de medicinis facile parab. Aceti ſcyllini confectio. Oportet etiam ſcyllam montanam librę vnius capientem, dura circumcidere, & mollia minutatim concidere, & aceti acerrimi ſextarios octo in vitreum vas mittere atque obturare, & per triginta dies in caniculæ caloribus permittere vt maceretur. Deinde ſcyllam extractam exprime, ſed id genus aceti parum moue, ſorbeto. Non ſtercus, non vrinam, ſed facile

excernit atque educit, aluus lubrica omnino eſt, totiúſque corporis purgatoriũ eſt medicamentum, etiam ſi oſſibus ſordes inhæreant, Item phthiſicos ab omnibus deploratos, hoc medicamento ſanitati reſtitutos nouimus, &c. Vide reſiduum quia miranda prædicit.

Idem de ſolutione continua, & acetum frigidum ſubtile nocens neruis.

Idem. De bonitate ſuccorum & vitio. Acetum mulſum ætati quidem omni & naturæ vtiliſſimum, ad incolumitatem tuto ſeruandam, quo viæ omnes anguſtæ expediuntur, vt nuſquám craſſus glutinoſuſque humor hæreat. Eam itidem ob rem, quæ ſalubria medicamenta vocant, ea ſunt omnia, vi attenuandi prædita.

Idem Gal. lib. 5. de compoſitione medicament. per genera. Miſcemus acetum cum digerentibus, vt humores craſſos particulis, quas curamus infixos, attenuent.

Idem lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facult. Sat igitur fuerit, tenuium partium refrigeratorium exicca-

toriúmque acetum dixiſſe.

Idem lib. 11. De compoſit. medicament. ſecund. locos, At qui acetum ex incidentium ordine exiſtens vltra hoc quod diſcutit, præcipuum quidem in ſe habet quæ reprimit, ac quod influit, expellit, vtpote quod ſubſtantia ſua parum calidum eſt, plurimum verò frigidum ac tenuium partium.

Auicenna lib.3.fen.18.cap.19.

Nunc quidem moueremus medicinas comminuentes lapidem & extrahentes ipſum. Et ſunt ſcylla, & acetum eius,& oximel ipſius.

Idem lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 9. Et ex eis quæ conferunt illis quorum appetitus eſt proſtratus, eſt propter debilitatem, ſicut conualeſcentium, aut materiam viſcoſam, eſt vt ſorbeant acetum ſcylliticum paulatim.

Idem lib. 2. tract. 2. Acetum eſt compoſitum ex caliditate & frigiditate, & ambæ ſubſtantiæ ſunt ſubtiles, & frigiditas quidem eſt magis dominans, & illud in quo eſt acredo, eſt calidius.

Si verò nō est, est frigidum & humidum, & decoctio diminuit aliquid de eius frigiditate aliquid est fortis desiccationis, & prohibet effusiones materierum ad interiora, & subtiliat, & incidit, adiuuat digestionem & aduersatur phlegmati, & est conferens cholericis, nocens verò melancholicis, & conueniens stomacho calido & humido, fortificat appetitum, & adiuuans ad digerend.

Idem lib.3.fen.1.tract.3. ca.29. Acetū miscetur medicinis, vt eas profundet, & virtutes earum penetrare faciat.

AEtius tetra.3 ser.3. De aceto.

Exsuscitant autem facultates ad excretionem irritando tertium Scyllæ decoctum, primo ac secundo diffuso.

Idem tetra.1. ser.1. Humectare enim non potest acetum per se, sed non ingenerose perfrigerat acetum. Igitur sitim neque ex sicca intemperie, neque ex calida & sicca obortam, acetum potatum vnquam sanare potest. Si verò concurrant, aliquando humiditas cum caliditate, eiusmodi sanè sitis, optima medella acetum erit.

Idem Ætius tetra.1. ser.1. Acetū mixtas

tas ſubſtantias frigidam & calidam, vtrãque tenuium partium habet, prędomina tur autem in ipſo frigida ſubſtantia, eſt tamen medicamentum abundè ſiccatorium, vt tertij ordinis ſit completi &c.

Idem tetra.1.ſer.2. Acetum frigefacit: nam tenuium partium exiſtit, quapropter neruos amplius, quam alia frigefaci entia lędit.

Idem tetra.1. ſer.4. Acetum mulſum, componitur ex duabus partibus mellis diſpumati, & vna aceti.

Idem tetra.3. ſer. 1. Acetum mulſum componitur ex optimo melle, & pellucidiſſimo aceto, ita vt ſint mellis partes duæ, aceti pars vna. Hæc proportio pluribus corporibus conuenit, &c. coquitur ad mellis compagem, & exhibetur calidè temperatum: potatum extergit, viſcoſos & craſſos humores attenuat. Quapropter viſcera omnia ab obturatione liberat, hepar, ſplenem, ventrem, meſenterium & renes &c.

Idem tetra.1. ſer. 2. vtiliſſimum verò ad extenuẽtem victum, eſt acetum mulſum.

Paulus AEgineta lib.7.

Philonius li.5. Matthæus à gradi in com. Rasis ad Almãsorem, sunt eiusd. sententiæ.

Describit compositionem oxymellis, laborantibus calculo idoneum.

Adianthon, seu pollytrichon, vel Capillus Veneris, vt Fuschio placet.

Dioscorides li.4. cap.127.

Adianthon bibitur vrinę angustiis, & calculos vesicę frangit.

Gal. li.6. De simpl. med. fac.

Adianthõ quidem in caliditate & frigiditate symmetrum est, verum desiccat & extenuat, & digerit, lapidésque frangit potum.

Idem Gal. li. De Renum affectus dignot. & curat.

Adianthon habet tepidam virtutem: At si lapis defixus in rene substiterit, decoctum adianthi assumere oportet.

Auic. li.2. tract.2.

Adianthon declinat ad caliditatem, at valdè parum, prouocat vrinam, frãgit lapidem.

AEtius tetrabibli.1. ser.1.

Adianthõ, siccat, attenuat, & calculos frangit in potu sumptum, medii temperamenti, in caliditatem & frigiditatem existit.

Idem tetra.3. ser.3. Cæterum lapides

ipſos in renibus confringit, & atterit adianthon.

Paulus AEgineta li.7.

Adianthon exſiccandi, attenuandi modicéque diſiiciendi poteſtate prædi-tum eſt, medium quodammodo locum calore ſortitum eſt,& frigiditate Veſicę, renumque,calculos cõminuit ſi potetur.

Idem li.3. ca.45. Cæterum in renibus, quę calculos comminuunt, cõterunt incidúntque vtendum medicamentis eſt, non tamen excellenter calorificis, cuius farinæ eſt adianthon.

Idem in eodem. Bibant quæ lotij proritandi vim obtinent, vt adianthi decoctum.

Althea,ſeu Ibiſcus vel ebiſcus,Biſmalua.

Dioſcorides li.3. ca.155.

Althea multiplici remediorum poteſtate & vſu factum eſt nomen, prodéſtq; contra vrinæ anguſtias & calculos.

Gal.li.6.de med.ſimplic.facultat.

Semen altheæ, calculos renum confringit, facultate digerendi, laxandi, & mitigandi.

Idem de Renum affectus dignotione & curatione.

Quæ lapidem conterunt, ſimpliciter aſſumere oportet. Et ſi inefficaces videantur, iis quæ lapidem frangunt, vt ſemẽ altheæ, item radices & ſemen incoquentes iniicimus.

Auicenna li.2. tract.2.

Altheæ nomen, à græco deriuatum eſt, ex nomine plurium iuuamentorum: Calidum eſt cum ęqualitate, & decoctio radicis eius eſt, quando datur in potu, cum vino, confert difficultati vrinæ, & lapidi, & proprie ſemen eius.

AEtius tetra.1. ſer.1.

Althea herba diſcuſſoria, laxatoria, inflammationes arcens. Semen calculos renum confringit.

Idem tetra. 3. ſer. 3. Eadem ſcribit, & probando eſt vſus.

Paulus AEgineta li.7.

Altheæ ineſt vis diſſipandi, & laxandi: ſemen calculos confringit.

Idem li.3. cap.45. Cæterum in Renibus quę calculos comminuant, atterent, incidéntque, vtendum eſt medicamentis non excellenter calorificis, cuius farinæ vtique ſunt ſemina altheæ.

Antonius mizaldus cent. 3. aphoriſ.

24. Bismaluæ decoctum cum melle & butyro recenti haustum, mirifice collicos & nephriticos cruciatus tollit.

Allium seu scorodon.

Hyppocrates De natura muliebri.

Allium in cataplasmate, pro calculo deturbando immiscuit.

Dioscorides li.2. Cap.132.

Allium omne habet acrimoniā, calfacit in cibo, excernit, penitus pellit, aluúmque turbat, stomachum siccat, siticulosum est, inflationes gignit, summam corporis cutem variat, & claritati oculorum officit, vrinam cit, imponitur emplastri modo, etiam pari vtilitate.

Galenus li. De aliment. facultatibus.

Allia corpus excalfaciunt, & qui in ipso sunt, tenuant, lentósque incidunt. Si tamen fuerint elixa, acrimoniam deponunt, tenuant tamen adhuc. Cęterum quidam allium mandunt, non vt obsonium, sed vt salubre medicamentū, quod digerendi, & obstructiones aperiēdi habet facultatem.

Idem Gal. li. De sanitate tuenda. Senes cibis obstruētibus nō vtantur, quod

ſi res cogat, allium eſitare expedit, ſi huic aſſueuerint.

Idem de ſimplicium medic. facultatibus. Allia aperientis facultatis ſunt, quæ acria ſimulque terrena ſunt.

Idem li. 8. De ſimplic. medic. facultatibus. Alliũ deſiccat & excalfacit quarto exceſſu, elixatura moderatur.

Idem li. De diſſolutione cõtinui. Allia incidunt & ſubtiliãt craſſos humores.

Idem lib. De dinamidiis. Allij ʒ.iij. diſſolutæ, & cum ydromelite bibitæ, Plegma educunt. *Auicenna lib.2.*

Allium eſt excalfactiuum & exiccatiuum in tertio, quando ſedetur in decoctione prouocat vrinã, & ſimiliter quando ſupponitur & bibitur, & quando teritur ex eo quantitas aurei cum aqua mellis, extrahit plegma.

Matthæus à gradi in com. Raſis ad Almãſorem ca. De curat. lapidis cõmendat allium.

Idem li.3. fen.18. tract.2. ca.19. Vbi tractat de medicinis comminuentibus lapidem, allium commendat.

AEtius tetra.1. ſer.1.

Allium calfacit & ſiccat quarto ordine, in cibum ſumptum flatus diſſipat, & ſitim extinguit, & craſſos viſcoſoſque humores, ſecando, obturatione liberat,

habet & quod medicatum & mali ſucci, quod abigit, aqua coctum. Fugiendus eſt eius aſſiduus vſus, præſertim in calidioribus habitudinibus.

Idem tetrab.3.ſer.3.ca.11. Communia remedia veſicæ & renum calculoſorum. Allios vnguiculos ſiue nucleos ſeptem, piperis grana nouē, contere ſimul quam tenuiſſimè, & cum vino albo veteri adſtringente pro vna vice, in balneum bibend. præbe, vbi ad calidum eius locum fuerit ingreſſus, à dolore ęgrum, hoc quidem liberat, aliquādo autem & lapidem poſt vnicam potionem exigit.

Paulus AEgineta li.7.

Allium excalfacit & arefacit, elixatura moderatur.

Ammi vel ameos, ſeu been.

Dioſcorides li.3.ca.64.

Ammi calfacit, feruide naturæ eſt, & ſiccat, bibitur & contra anguſtias vrinæ & difficultates.

Gal.li.6.de ſimpl.med.facult.

Ammi calidum & ſiccum in tertio, Semen maxime eſt vtile, guſtu ſubamarum eſt & acre, & clarum eſt quod & digerit, & vrinam promouet.

Auicenna li.2.

Ammi aperit oppilationes, & in ipſo eſt cum exiccatione lenificatio. Datur ad bibendum cum vino, & prouocat remouétque vrinæ difficultates, & extrahit lapidem, & vniuerſaliter mundat Renes, & veſicam.

AEtius tetrabibli.1.ſer.1.

Ammi ſemen maxime in vſum venit, calfactoriæ, & ſiccitatis facultatis & acre, atque vrinam ciet, & diſcuſſorium eſt.

Idem Æt. tetra 3. ſermone tertio. In principio curationis, quæ cient præbibenda dato, vt ammi decoctum.

Paulus AEgineta li.7.

Ammi calfaciendi & exciccandi vim habet in tertio gradu, diſcutientis, & vrinam prolicientis naturæ, cuius ſemen optime vſus frugis eſt.

Amygdala.

Dioſcorides li.1.Ca.31.

Oleum amygdalarum prodeſt Renum cum vrinæ malo aliquo doloribus, vrinæ anguſtiis, calculoſis. De amaris loquitur.

Idē Dioſcorides li.1. ca. 149. Amyg-

dala amara cum paſſo, calculoſis & vrinæ anguſtiis proſunt.

Idem in eodem, Amygd. gummi arboris adſtringit & calfacit, bibitur & cõtra veſicæ calculos in paſſo vtiliter. Dulces minus efficaces ſunt quam amaræ, extenuant tamen, & vrinam cient.

Gal. li. De Catharticis.

Oleum amygd. lapides frangit.

Idem li. 6. De ſimplic. medic. facult. Amara vim extenuandi poſſident, Renũ dolores ſanant.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Quæ dulcis eſt, ęqualis eſt, parum ad humiditatem declinans. Et amara eſt ſicca in ſecundo.

Gummi amygdalę amarę, conſtringit & calfacit & in omnibus ſpeciebus amygdale, eſt mundificatio & abſterſio, ſed dulcis eſt plurium debilior, quę amarę ſunt, aperiunt oppilationes renum & oleum amarorum mundificat renes & veſicam & frãgit lapidem, maximè cum Ireos bibitum.

Idem Auicenna li. 1. tract. 1. Et amygdala quamuis ſit æqualis, ſubtilis, tamen cum ſit raucida calfacit potentia.

Gal. lib. 2. de Aliment. facult.

Amygdalæ nihil habent prorſus facultatis adſtringentis, ſola enim tenuandi facultas ac detergendi in eis præpolet &c. Quædam enim ipſarum facultatem habent, ſuccos craſſos ac lentos, incidendi adeo exuperantem vt mandi præ amarore nequeant: nonnulli neutro genere appellant amygdala.

Idem Gal. De ſuccorum bonitate & vitio. Conſulo eorum quæ edenda ſint, vt certum fiat de ipſorum natura periculum. Pater quidem meus, rerum harum ſtudioſus, hoc pacto amygdalas quoque probabat.

Idem li. 5. De med. ſimplic. facult. Simile quidem amygdalis accidit &c. Nā & horum ipſorum, ea quæ amara ſunt, & detergunt & meatus expurgant, quæ verò edendo ſunt detergunt quidem, non tamen infarcta liberant.

Idem in eodem libro 6. De medic. ſimplic. facult. Amygdala quæ quidem amara ſunt, palam omnino vim extenuandi poſſident. Quin & quod per accidens facultatem habeant ab obſtructio-

ne liberandi & dolores ab huiuſmodi cauſa natos coli & renum ſanant.

Idem li. De oculis, Aperitiua dicuntur, quæ craſſam materiam attenuant, quæ virtus, in amaris & nitroſis inuenitur, ſicuti ſunt amygdala amara.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Amygdala amara, attenuatoriam vim palam præ ſe ferunt, renes ab obſtructionibus liberant & repurgant.

Paulus AEgineta lib.1. cap. De nucibus.

Amygdalæ diſſecandi, extenuandíque virtute præditæ ſunt, ſed efficacius amarę purgant.

Idem lib. 7. Amygdala amara extenuant,& ab obturatione,tenacium craſſorúmque humorum,qui in alto corporis hærent vindicant, & ibi modum olei concinnandi docet.

Ferrandus ſuis,in praxi,in hunc modum conſulit vti maximè qui humenti ventriculo ſunt præditi & corpore obeſo.

℞ Amygdal.amarum à corticibus repur. & pellibus abſterſor. non raucidor.

minutim inciſorum art.1. Pul.ſacchari ℥. vi. Capiat ex cochleari mane ventriculo ieiuno, bibat mod. vini albi.

Inter paſtus vtantur tarta in marccpandio dictis amygdalis & ſaccharo can do facta.

Inter paſtus quando ſtatus cęli eſt calidus & ſiccus ſi ſitient, vtantur ipſis amygd. probe contuſis & ſero lactis ex lacte cocto facto in forma amygdalati nõ cocti & ſaccharo bugloſato dulcorato.

Singulo menſe in prima quadra oppoſitionis lunæ. Repurgentur ℥ 1. dyaſebeſten vel pulpa caſſiæ fixæ, aut ʒ vi. terebinthinæ abietis ſelectæ. Et poſt talem lenit. purgat. dentur ℥ ij. olei ex amygdalis amaris, nucleis perſicorum & cera ſ. ſiue ignis vi extract. miſcendo ℥ iij. iuſculi decoctionis cicer. Rub.

Et hæc pro precautione & curatione maxime ex vſu ſunt.

Nota ſi adſit vrinæ ſtranguria, addo ℥ ij. Rad. cinnaræ gallicè artichault producentis poma non nigricantia, quia vitioſa.

Anonis ſeu Ononis, vel acanthus ſilueſtris, gallice bruganes, teſte fuſchio in Dioſcoridẽ.

Dioſcor.li.3. cap.22.

Anonis pellit vrinam, frangítque calculum potus cum vino, maximè radicis cortex.

Gal.li.6. De med.ſimplic.fac.

Cortex eius maxime eſt vtilis, habés quidpiam abſterſorium & inciſorium, Non tantum vrinas prouocat, ſed & lapides confringit.

Paulus AEgineta li.7.

Excalfactorie virtutis eſt maxime, radix cuius ſuccus cum vino potus, non tantum vrinam proritat, ſed & lapides etiam diſſipat, & cruſtras frangit.

Apium.

Hippocrat. De Natura muliebri.

Apio vſus eſt in compoſitione cataplaſmatis cientis vrinam & calculum.

Dioſc.li.3. ca.68.

Apium ſatiuum vrinam cit, crudum, elixumve, in cibo ſumptum. Semei efficacius vrinam cit. Apium montanum cient vrinam pota in vino radix & ſemen.

Philonius in ſua praxi vinum aqua decoc. ſe lymphetur. A gradi in com. Raſis ad Almãſorẽ Apio montano vtitur.

Idem de petroſelino, ſiue ſaxatile apio, vrinam cit, medetur veſicæ renúmque doloribus in potione ſumptum, mi-

ſcetur antidotis etiam quæ ad ciendam vrinam conficiuntur.

Gal. lib. 5. de ſimplic. medic. facultat.

Apio & Petroſelino vis eſt ſimilis, quocirca & ſemine eius vtimur ad vrinas.

Idem lib. 5. de compoſit. medic. ſecund. locos. Si verò & humorum craſſitudo, attenuari expetas, etiã hoc ipſum faciunt, dico autem apij ſemen &c.

Idem lib. 3. de medicinis facile parãdis. Feniculum & apium ſi in iocinore ac liene multitudinem atrorum ſuccorum offenderint, detrahunt, & per lotiũ deiiciunt abſque moleſtia.

Idem Galenus, de renum affectus dignotione & curatione. Semine apij, ad flatus diſcutiendos, eſt vſus in curatione lapidis.

Auicenna lib. 2. tractat. 2.

Apium eſt calidum in ſecundo, prouocat vrinam, & purgat renes & veſicã, & montanum frangit lapidem, & confert difficultati vrinæ.

AEtius ca. de curatione calculi.

Apium deducit ad renes, ea quæ cal-

culos confringunt.

Idem tetra.1.ſer.1. Apium in tantum calidum eſt, vt & vrinas promouet, & magis ſemen.

Paulus AEgineta lib.7.

Apium tantum calore præditum eſt, vt lotia proritet, ſpiritus extinguit, potiſſimum ſemen.

Idem lib.3. cap. 45. Apij radices vino elixatæ, liquorémque inde expreſſum, aqua infarctum, cochlearibus binis exhibeto, pro calculo deturbando.

Idem in eodem. Bibant oxymelli adiecto aliquo, ex ſimplicibus, quæ vim lotij proritandi obtinent, puta apij.

Idem lib.1. cap.100. Epiſt. ad Antigonum Regem. Odoratis lotia impellentibus opem ferre conuenit, ſine periculo. Sunt verò qui apij radices, in vino albo macerandæ, vino inquam odorato præbent.

Aqua.

Hippoc. in 6. Epid. commento 4.

Aqua non bibenda ni coquatur, & à coctione refrigeretur: & quibus propugnandis calculis obnoxij ſunt, vtilis.

Gal. De Renum affectus dignot. & curatione.

Aqua in vniuersa victus ratione, sit purissima & purgata, alia verò, & omnes stagnantes, lapidem generare possunt.

Idem in eodem. Si qui frigida bibere essent assueti, & nullum viscus phlegmone laboret, nec esset imbecille, frigidam sæpe exhibuimus copiose, renibus ita corroboratis, è vestigio lapidem impactũ expulerunt.

Auicenna li.3.fen.18.ca.5

In cura caliditatis renum, non conuenit aquæ frigidæ prohibitio.

AEtius tetrabi.3. ser.3.ca.5.

Cęterùm si calidius ęgri sit corpus, frigidam aquam & frequẽter, & aceruatim ęgro exhibuimus, & confestim corroboratis renibus, obturatum lapidem ipsis expulerunt, in repletis corporibus & abundantibus superfluitatibus, & in his qui habent viscera debilia, vitare oportet frigidæ potum.

Idem in eodem. Aquam per victum purissimam esse & percolatam oportet.

Idem in eodem, aqua sit calida, fontana, pura, defecata, leuis.

Paulus

Paulus AEgineta li.3.Ca.45.

Vinum ad tutellam ne generantur calculi, omnium primum bonitatis meruit honorem, poſt balneum ante vinũ nutrimentúmque aliud, ſit aquæ potus tepidæ.

Idem in eodem, à balneo ieiuni, ante vinum egelidam hauriant, & in medio prandij gelidam, niſi quid obſtet, ſuperbibant.

Arthemiſia.

Dioſcorides li.3.

Arthemiſia calfacit & extenuat, prodeſt frangẽdiscalculis, & ſuppreſſe vrinę.

Gal.li.6.De ſimpl.med.facultatibus.

Arthemiſia excalfacit, & modicè deſiccat, ad Renum calculos, mediocriter commoda eſt.

Auicenna li.2.tract.3.

Arthemiſia calida & ſicca in primo, eſt ſubtiliatiua valdè, cuius emplaſtrum prohibet, attractionem materierum, ſeu aduentum ſuperfluitatum ad mẽbra, frãgit lapidem in renibus.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Arthemiſia ad renum lapides moderatè conuenit.

Paulus AEgineta li. 7.

Arthemisia renum lapides cõfringit.

Asphodellus, seu hastula Regia.

Hippocrates de morbis.

Asphodelli radices bibendas ieiuno dato morbo Regio laborantibus nigróque, & nephrisi &c.

Dioscorides li. 7.

Asphodelli radices ciendis vrinis vtiliter ministrantur.

Gal. li. 2. De facultatibus aliment.

Asphodelli radix, facultatem habet tenuandi & aperiendi.

Idem Gal. li. 6. De medic. simplicium facul. Asphodellus excalfacit & modicè desiccat ad Renũ calculos mediocriter commoda est.

Idem in eodem, radix asphodelli est facultatis extergentis & digerentis.

Idem libro Gal. attributo, De simplicibus medicaminibus. Albucus qui dicitur asphodellus, radices illius coctę aqua bibita, renibus dolentibus prodest, vrinam prouocat.

Auicenna li. 2. tract 2.

Asphodelli radix prouocat vrinã, & est calidus & siccus.

AEtius tetra.3.ser.3.ca.5.

Asphodelli radix,multã ducit vrinã.

Idem tetra.1. ser.1. Asphodelli radix in vsu est,veluti Ari,Azari, & dragontij, vim habet,extersoriam ac discussoriam, vnde in vino albo vetere cocta, & vino calido meraco cyathi mensura hausto, menses suppressos celerrimè ciet vrinasque.

Asparagus.

Dioscorides li.2.ca.54.

Asparagus mouet aluum, & vrinam cit,breui coctura elixus, & in cibo sumptus, elixaturáque pota, vrinæ angustiis succurrit,maximè radicum decoctum & cum vrinæ malo aliquo doloribus medetur.

Idem tostus elixusve, & in cibo sumptus,vrinæ angustiis, stillicidiove, radix sparagi medetur. Et hæc De petreo siue siluestri.

Gal.de Renum affectus dignot. & curat.

Asparagorum regalium radices,lapidem frangunt & vti poteris.

Philonius in sua praxi, vinum decoctionis radicus lympheтur.

Idem de simplicium medicam. facultat. At quæ renes purgant quidem incidentia sunt, verùm larga humiditate

non indigent &c. At quę minus ſunt calida, cum hoc quidem incidere valeant meliora quoque ſunt, velut radices aſparagorum regiorum.

Idem De attenuante victus ratione ca. 4. Quoniam autem ab initio de cibis oleraceis diſſerui &c. Proximum ſanè fuerit de aſparago, quos vocant diſſerere, omnia enim ſtomachum iuuant, facultatíſque ſunt mediocris, ſic enim nominatur tenerum germen, quod è ſumma ipſa planta producitur &c.

Idem De Alimēt. facultatibus ca. 58. & 59. Græci omnes teneros caules, quo tempore ad ſeminis productionem augeſcunt, aſparagus per p. appellant. Aliud autem aſparagorum eſt genus, quod in plantis fruticoſis prouenit, ab iis præterea, alij diuerſi ſunt, quorum alius regius, alius paluſtris, & alius eſt bryoniæ ab iis diuerſus, omnes enim ſtomachum iuuant, vrináſque cient, & parum nutriunt.

Idem li. 6. De med. ſimpl. facultatibus. Aſparagus petreus ac myacanthus, abſtergendi vim habet, idque citrā manifeſtam caliditatem, aut frigiditatem, hinc eſt quod Renes & Iecur ab infar-

ctu liberat, & maxime ipsius radices & semen.

Idem li. 9. De compositione medic. secund. locos pro nicerati ciens vrinas.

℞ Cicerum siccorum sextarium vnũ, Rorismarini ɱ. I. Aquæ sextaria sex, Feniculi ɱ. I. Asparagorum radic. ɱ. I. pręparato ac dato coctum ac excolatum liquorem, febrientibus simpliciter & assiduè bibendum, non febrientibus cum vino diluto.

Aliud ex eodem & in eodem.

℞ Cicerum sextarium vnum, Rorismarini, asparagorum palustrium Radic. añ ɱ. I. Aquæ sextaria sex, præparato, & exhibeto vt dictum est.

Idem li. De catharticis, Suauissimè mouet vrinas asparagus.

Idem Gal. li. De simpl. med. Galeno ascriptus Asparagus & radix & semen eius, vrinam prouocat, potest duritiem relaxare, vires habet aliquatenus calfactorias, & diureticas.

Auicenna li.2.ca.611.

Asparagus natura æqualis apud Galenum: Ego autem dico non elongatur à caliditate, & quãto plus incipit indurari,

roboratur caliditas. Virtus est absterſiua, aperit oppilationes omnium viſcerum, propriè hepatis & renum: & in ipſo est reſolutio, propriè in petroſo, & decoctio radicis eius prouocat vrinam, & confert difficultati vrinæ, & ſemen eius idem operatur.

Idem li.3.fen.18.tract.2.ca.19. Et oportet vt in cibis eorum nephriticorum, ponantur aſparagi &c. Item vſus aſparagorum commẽdatur pluribus in locis, maxime in dicto ca.19.

AEtius tetrab.3.ſer.3.

Aſparagus exſuſcitat facultates ad excretionem irritando.

Idem tetra.1.ſer.1. Aſparagus petreus, ſeu myacanthus, exterſoriam vim habet, nec tamen validè excalfacit, nec frigefacit, idcirco renes & iecur obstructionibus liberat, maximè radices herb. & ſemen, & ſanè etiam dentium doloribus medetur ſiccando, citra calfactionem.

Paulus AEgineta li.3. ca.45.

Cæterùm in renibus, quæ calculos comminuunt, atterant, incidéntque, vtẽdum medicamentis est non tamen excellenter calorificis, cuius farinæ vtique

ſunt,baſilicorum aſparagorum radices.

Idem li.7. Aſparagus petreus ſeu myacanthus abſtergendi vim poſſidet, media inter caliditatem & frigiditatem tẽperie, inde renum & hepatis meatus ab infarctu & obturatione vindicat,preſertim radices ipſius ac ſemen, quinetiam cruciatibus dentium medetur.

Aſplenon ſeu ſcolopendra, vel cetrach & hemionitis.

Dioſcorides li.3. ca.142.

Scolopendrę folia poſſunt veſicę,ſtillicidio ſubuenire, & calculos veſicæ frãgere.

Gal.li.6.De medic.ſimpl.facul.

Cetrach eſt tenuium partium, non tamẽ eſt calida hac vtique ratione, & lapides frangit,lienéſque liquet.

Idem li.9. De compoſitione medicamentorum ſecundum locos, Potio ad ſplenicos antipatri.

℞ Carnis myrobolani ℥.iij.hemionitis herbæ,quam quidem aſplenon, quidam ſcolopendram dicunt ℥.vj. &c. Et calculis prodeſt.

Idem Gal.in eodem loco eadem ſcribit,ex Aſclepiade.

Auicenna li.2.tract.2.

Aſplenon calida eſt in primo, ſicca in ſecundo, ſubtilis, reſolutiua, & in ipſa nõ eſt plurima caliditas. Frangit lapidem in Renibus & veſica.

Paulus AEgineta li.7.

Aſplenon, attenuantis quidem facultatis eſt, non tamen calidum. Quo vtique nomine calculos atterit & renes cõminuit.

De litera, B.

Bdellium.

Dioſcorides li.1.ca.75.

Bdellium cum inciditur, odoratum, & humano vngui ſimile, Calfacit mollítque, potum calculos frangit, & vrinam pellit.

Gal.li. 7. De compoſit.medic.per genera Ca. 3.

Bdellium duritiem in ſchyrrum degenerantem curat.

Idem li. 6. De compoſit.medic.ſecundum locos. Bdellium odorum & hoc, tollénſque mox vitia hepatis affectionéſque colo, & graues renum dolores.

Idem in eodem ca. 7. Bdellium admiſtum eſt à compoſitore Pharmaci ſuffi-

cienter emolliens & concoquens veluti didiſcimus, ampliúſque moderatè diſcutiens.

Idem li. 6. De ſimplic. medic. facult. Proinde quamuis innumera ſint excalfacientia ſimul atque exiccantia medicamenta, ſola tamen ea quę conuenientem ac ſimmetrum calorem poſſident, vnáque reſpondentem ſortita ſunt ſiccitatem, mollire, quæ ſchyrrum inſtar indurata ſunt, poſſunt, quale eſt bdellium.

Idem in eodem. Bdellium quod ſcyticum appellatur, emollientis eſt admodum & efficacis virtutis, Arabicum dilucidius eſt, & calculos renũ in potu ſumptum frangere apparet, tum vrinas ciere, & crudorum flatuum diſcurſus perſanare.

Idem li. De renum curatione. Quæ ſi inefficaces videantur, quæ lapidem frangunt, vti poteris bdellio ex Arabia aduecto.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Bdellium confert lapidi Renum.

AEtius tetra. 1. ſer. 1.

Bdellium calculos Renum atterere videtur, vrináſque ciere in potu acceptũ.

Idem tetra 3.ser.3.ca.5.Cæterum lapides ipsos in renibus conterunt,& atterũt bdellium,&c.

Paulus AEgineta li. 7.

Bdellium Arabicum vrinas proritat, lapides diminuit.

Idem li.3.ca.45. Cæterùm quæ in renibus calculos atterunt,incidúntque, vtendũ medicamentis est,non tamẽ excel lẽter calorificis, cuius farinę Bdelliũ est.

Bethonica,seu cestron,vel vt alij volunt Saxifragon.

Dioscorides li.4.ca.1.

Syluius in sua praxi, sumatur sæpe syrupus acetatus compositus, cũ duplo aquæ bethonice.

Bethonica vrinam cit, aluum ducit, renum etiam cum malo vrinę aliquo vesicéque doloribus ℥. ij. pondere cum vino vbi febris non sit,vel mulsa si sit. Seruanda bethonicæ folia in fictili sunt.

Idem li.4.ca.17.Saxifragra bibitur in vino decocta vtiliter,stillicidio vrinæ, & calculos vesicę frangit.

Gal.li.7. De simpl.med.facultat.

Bęthonica cõsistentes in renibus calculos rumpit.Idem in eodem li.5. ca. 13. At quę minus sunt calida,cũ incidere valeant, sunt meliora, velut bethonica.

Idem li. De Theriaca ad Pisonem,

Bethonica renibus multotiens profuit.

Idem li. 5. De ſanitate tuenda, ca. 5. Coniicitur vino ſeuum qui calculo laborant, aliquid bethonice.

Idem li. De Renum curatione, ca. 8. Bethonica eſt de iis que lapidẽ frangũt.

Idem in eodem. At ſi lapis defixus in rene ſubſtiterit, quæ lapidem frangunt ſimpliciter aſſumere oportet, ſicut eſt damaſonium &c. Quæ ſi inefficaces videantur, iis quę lapidem frangunt vti poteris, ſicut eſt bethonica.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Medicina autem frangitiua ſeu comminutiua in partes, cuius proprietas eſt, vt cum humorem inuenit lapideum, minores partes eius, & conterat eas, ſicut ſaxifragia.

Paulus li. 7.

Bethonica perſubtilibus ramulis herba eſt, frondes pulegio ſimiles ſortita. ſed graciliores, & tantum non ſine ſapore guſtantibus, qua & iam renum medicaminibus vtimur. Eſt apud Romanos, cognominatáque à Dioſcoride ceſtron, ab aliis verò pſydrotophõ, eo quod gelidiſſimis gaudeat locis.

AEtius tetrab.1.ser.1.

Bethonica vim habet sectoriam, velut gustus indicat, amara enim & acris herba existit, velut etiam particularis actio ostendit: nam & Renum calculos confringit.

Idem tetra.3. ser.3. Cæterum lapides ipsos in Renibus confringunt & atterũt, decoctum bethonice.

Bryonia, psilotrum, Ampelos leuce, Bryonia alba.

Dioscorides li.3.ca.172.

Comeduntur in prima germinatione elixi bryoniæ eius asparagi, aluum & vrinam cientes, radix pota vrinam ducit.

Gal.li.6. De simplic.medic.facult.

Ampeli leuces quam & bryoniam & psilotrum vocant, prima enim germina ab omnibus pro more edi solent, vtpote edulium stomacho propter adstrictionẽ acceptum, sed & subamarum, & modicè acrem adstrictionem possident, quare & vrinam modicè cient.

Idem li.3.De medic.local.Ca. de auris dolore: Cæterùm aurium meatus ab obturatione liberant etiam quæ in renibus atterunt, ex quorũ numero est Bryo-

nia, namque & absque molestia meatus expurgat, disiicítque & dissecat obturata.

Idem De Renum curatione. Quod si frequentiùs vrinas mouere cupis, & natura in vrinis deponendis pigra sit, ipsam excitabunt Bryoniæ cauliculi.

Idem libro De catharticis. Euacuat & purgat vesicam bryonia.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Bryoniæ lachryma, quæ est sicut gũma, bibitur cum vino, & frangit lapidem.

AEtius tetra. 1. ser. 1.

Bryonia germina habet, quæ recens producta familiarem cibum exhibent verno tanquam edulium, stomacho cõmodum propter vim adstringendi, & vrinam cient.

Idem tetrab. 3. sermo. 3. vrinam autem multam ducit radicis bryoniæ decoctum.

Idem in eodem. Deducũt ad Renes, ea quæ calculos confringunt, vt radix bryoniæ.

Paulus AEgineta li. 7.

Bryoniæ Ramuli, veluti stomacho accommodati, manducantur, & lotium proliciunt, radix verò vim extergendi

habet, & ſubtilium eſt partium, ac temperatè calida.

Butyrum.

Dioſcor. lib. 3. cap. 64.

Butyrum miſcetur vtiliter, veſicæ & colli vulneribus addi ſolet, replet, idem purgat, & carnem creat.

Gal. lib. 10. de ſimplic. med. fac.

Butyrus aut butyrum, vtcumque nominare voles, facultatis eſt concoquẽtis, paulum etiam habens digerẽdi potẽtiæ.

Auic. lib. 3. fen 18. tract. 1. cap. 5.

Decoquuntur folia maluæ campeſtris, & ponuntur in decoctione eius butyrum & mel, de quo ſumatur res plurima, lubricat lapidem, & prouocat vrinã, lenit iter & vias, & extrahit eum cum facilitate.

AEtius tetrab. 1. ſer. 2.

Butyrum vim concoctoriam habet, modicaque diſcuſſoria participans, has vires tamen in mediis, inter mollitiem & duritiem corporibus exercet. Nam vbi fuerint inflammata, concoquit & facile diſcutit.

Idem tetrab. 3. ſer. 3. Cæterum leniẽdæ & laxandæ inflammationes, idipſum

poterit facere butyrum.

Paulus AEgineta lib.7.

Butyrum eſt facultatis maturatiuæ,& mediocriter diſtrahentis eſt, in tenellis corporibus.

De littera C.

Calamenthum ſeu Nepeta.

Dioſcorides lib.3.cap.39.

Calamenthi decoctum, vrinam pellit.

Gal.lib.de Oculis.

Medicina attenuens & incidens, nimietate caloris,lapidem frangit,vt radix Calamenthi.

Idem lib. 4. de ſanitate tuenda. Omnium quæ mihi cognita ſunt, optimum medicamentum eſt Dyacalamynthes. Nam & craſſa lentáque attenuat & per habitum educit,vrinámque mouet.

Idem in eodem. Dyacalamynthes in bilioſis temperamentis, cauere oportet eius aſſiduum vſum.

Auicenna lib.2.tract.2.

Calamenthum ſeu Calamintha triplex eſt, primum folia ocimi habet, ſecundum pulegio ſimile, tertium mentaſtro. Calamintha eſt ſubſtantiæ ſimilis, & montanum eſt fortius fluuiali,

eius decoctio prouocat vrinam, & confert dolori pungitiuo ventris, & cholericæ passioni.

Chamæmilla seu Anthemis.

Dioscorides li.3.ca.137.

Camemilla nascitur asperis macrísque locis, & secus itinera, colligitur per ver, habēt vim excalfaciendi, & extenuandi, flores, radices & herba, bibentibúsque decocto earum, calculi educuntur, quinetiam eorum generum cunctorum, decocto vtiliter vesicæ vitio fouentur: Calculosis tamen vtilius & efficacius quod florem purpureum habet, vndique cęteris maius, idque propriè heranthemon vocant.

Gal. li.6. De simpl. medic. facult.

Chamęmilla calfacit & desiccat, in primo ordine, est & tenuium partium, ac proinde, digerendi, laxandi, & rarefaciendi vim obtinet.

Idem in eodem li.3.ca.19. est & chamamęllum tenuitate quidem pf. rosæ persimile, calore verò ad olei vires magis accedens &c.

Auicenna li. 2. tract. 12.

Chamæmilla ex ea est cuius flos est citinus,

tinus, altera purpureus, alia verò albus, calida & sicca in primo, est aperitiua, subtiliatiua spissitudinis, mollificatiua, resolutiua cum pauca attractione. Et est hæc proprietas inter alias medicinas, prouocat vrinam, & egredi facit lapidẽ, & propriè quæ ex ea est purpurei floris, & cum chamæmilla quidem vaporatur vesica propter dolores frigidos, est vtilis.

AEtius tetra.1.ser.1.

Camedris seu trixago, siue quercus terræ.

Dioscorides lib.3.cap.104.

Camedris vrinæ angustiis bibitur vtiliter, decocta viridis, cum suo semine prægnans.

Gal.lib.9.de simpl.medend.facultat.

Camedris vincentem habet qualitatẽ amaram, est & quodammodo acris, vrinas prouocat, crassitudinem humorum incidit.

Auicenna lib.2.tract.2.

Camedris prouocat vrinam.

AEtius tetrab.1.ser.1.

Camedris tertij ordinis calfacientium ac siccantium, vrinas & menses mouet, & crassos humores secat, & viscerum obturationes purgat.

Paulus AEgineta li.7.

Triſſago lotium trahit, viſcerum obſtructiones purgat.

Idem li. 3. Eadem ſcribit ſicut de camepithi.

Idem in eodem cap. de vrinarium partium abſceſſu. Nos in vetuſtioribus hoc ſumus vſi, & nullo exquiſitiore vnquam indiguimus.

℞ Camedryos & camepitheos añ.ʒ.xxiiij. Azari piperis albi añ.ʒ.vij. cinamomi ʒ.i. fiat pul. da duo cochlearia cũ paſſo, aut ternis cyathis aquæ. Si mordax exulceratio fuerit, addes amyli ʒ.ij. & ſem. cucumeris xv. & voti cõpotes euaſimus.

Carduus, Scolymos, Cynara, gallice artichauld.

Dioſcorides li.3. ca. 15.

Scolymi radix pota, copioſam grauéque olentem vrinam elicit.

Gal. li. de med. ſimplic. facultat.

Scolymi radix, graueolentem vrinam pellit ſi quis in vino coctam bibat.

Idem Gal. in lib. De Renum affectus dignot. & curat. eadem ſcribit.

Idem in eodem.

Medicamēta quæ Renes purgant offerre conuenit, ſicut quæ obſtructiones aperiunt, quæ vrinas craſſiſſimas, viſcoſas, multas, fætidas, à venis renibus, vrinę meatibus, atque veſica, educūt, vt cardui radices decoctæ.

Idem in eodem tertio repetit.

Idem in libro de cura icteri, Suauiſſimè mouent vrinam, molles cardui.

Idem li. 8. De ſimplic. medic. fac. eadem narrat.

Auicenna lib. 2.

Carduus prouocatione ſua, vrinam fætidam pellit, ſua proprietate quam habet in ſe, & eſt temperata ad caliditatem declinans.

AEtius tetra. 1. ſer. 1.

Scolymi radix multam vrinam ducit, ſi cum vino quis decoctum bibat.

Paulus AEgineta li. 7.

Carduus excalfacit & ſiccat in ſecundo ordine. Radix in vino elixa potáque, graueolentem vrinam copioſè eiicit.

Idem in eodem, Cardui nigri radix in corpore ſumpta, venenoſa & lethalis creditur.

Capparis.

Dioſcor.li.2.ca.161.

Capparis excremēta alui & vrinam, cruenta trahit.

Gal.li.De oculis.

Capparis medicina attenuens & incidens, nimietate caloris, lapidem frangit maximè radix capparis.

Idem De Renum affectus dignotione & curatione. Quæ ſi inefficaces videantur, iis que lapidem frangunt vti poteris, qualis eſt capparis.

Idem, Cappares ex aceto & oleo citra calorem extenuant.

Idem Gal.li.7. De medic. ſimplicium facultat. Capparis radicis, cortex vincentem habet qualitatem, quo liquet diuerſis pugnantibúſque conſtet facultatibus, quippe abſtergere, pergurare & incidere poteſt, amaritudinem excalfacere, incidere, digerere, acrimonia, porro contrahere, denſare, cõfringere acerbitate. Itaque lienes induratos ſi quid aliud hoc medicamentum iuuare valet cum aceto

vel oxymelite decocto, cum apertè craſſos lentóſque humores, hoc pacto ſumptum euacuet, nec eos tantum per vrinas, ſed per ventrem, ſæpe etiam ſanguinolentos defert, vnde & lienes adiuti ſunt & coxarum dolores &c.

Idem li.14.methodi medendi, incidit tamen ex tali victu diutius exhibito, etiã in renibus calculi generatio: protinus cappari ex oxymelite, in principio cibationis, donec cõſtiterit grauitas dabitur.

Idem li. De diſſolutione continui. Et quando ſtomachus eſt mollis, debilis, in quo eſt phlegma adhęrens, conueniúntque, amouent phlegma, & mundificant ipſum, & corrugunt ſubſtantiam eius & confortant. vt capparis præparatus cum aceto ſolum, & in principio paſtus comeſtus.

Idem libro De med.local. ca.De dolore auris. Cæterum meatus ab obturatione liberant, etiam quæ in renibus lapides atterũt, è quorum numero, cortex radicis, capparis eſt.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Capparis radicis cortex, prędominãtem habet amaram qualitatem, ſecundo

loco acrem,& deinceps acerbã. Ex quo palam fit, ex diuersis & pugnantibus viribus,ipsum compositum esse, extergere & expurgare ac incidere potest,ob amaritudinem : calfacere & discutere ac attenuare, per acrimoniam: cõtra verò,ac constringere accogere,per acerbitatem. Propterea lienes induratos, si quod medicamentum aliud,curat, &c. prouocat tum apertè , tum viscosos ac crassos humores fructus capparis cum aceto & oleo sumptus, non per vrinas solùm , sed per ventrem. Medicamentum est ad excitandum appetentiam prostratam , extergendúmque ad subducendam ventris pituitam, & expurgandum obturationes lienis ac Iecoris, vtendúmque tamen est eo cum commodo liquore aceti mulsi,aut aceti oleo permixti,præ omnibus aliis cibis.

Paulus AEgineta li.1.

Nota. *Vsus capparis commendatur in principio cenæ ex oxymelite vel oxeleo.*

Ferrandus correptus insigni iecoris duritiæ,& totius corporis pruritu,vna cũ febre intermittente,& ingenti inquietudine,est vsus dictis capparibus iuxta do-

ctrinam Ætij feliciſſimè, quia iecur ad menſem reſeratum eſt, cum copioſo vrinæ fluore, vna cum alui fluxu benigno.

Gal. li. De compoſit.medic.localium Ca.de dolore auris.

Cæterùm meatus ab obturatione liberant, etiam quę in renibus lapides atterunt,è quorum numero eſt, cortex radicis capparis.

Cicer.

Hyppocrates li. 1. De internis affect.

Huic cum ſe habuerit, & calculo in renibus ſit diuexatus &c. Totum corpus purgato. Poſtero die duobus congiis ſucci ciceris albi ſubpurgato,quem ſale iniecto,bibend.dabis.

Idem libro de dieta.Cicer album per aluum ſecedit, & per vrinam eiicitur, & alit quidem carnoſum in ipſo,poſtvrinam verò eiicitur dulce, per aluum autem ſecedit ſalſuginoſum.

Dioſcorides li.2.ca.94.

Cicer vrinam cit, ſed inflationes facit, & alterum Cicer arietinum datur ad ciendas vrinas, renes tamẽ & exulceratam veſicam lędũt.Fuſchius,nigra vocat

arietina, quia caput arietis figura referunt, efficacius cæteris prouocant, cuius decoctum calculos frangit, sunt enim calidi & modicè sicci.

Galenus De cura lapidis.

Decoctio ciceris est bona, & in decoctione misceatur acetum, quod destruit eius caliditatem, & roboret eius incisionem, & ponatur in omnibus.

Idem li. 1. De alimentorum facultatibus. Inest ciceribus facultas abstergendi, adeo vt quidem ex ipsis constantes calculos, in Renibus manifestè cõminuãt.

Idem li. 4. De simplic. medic. facultat. Cicera quanto fuerint albidiora, tanto & minus sunt calida, quæ verò sunt fulua, subflaua & calidiora.

Philonius li. 5. ca. 25 Antoni⁹ gaynerius. Siluius in sua praxi. Joannes Matthæ⁹ à gradi in com. ad Almansorem. Petrus bayrus in sua praxi.

Idem li. de Cura lapidis. Et acceptio aquæ ciceris est bona & benedicta, & si in decoctione misceatur acetum est melior, & ponatur in aquam cibariorum aqua ciceris nigri.

Idem De bonitate aquæ. Quidam potus ac cibos quosdam aduersus remedia aquarum vitia inueniunt: ac alij quidem cicerum decoctum prębibunt, vel etiam cicera ipsa commanducant.

Idem De dinamidiis li. 1. vrina liuida quæ vix egeritur tumeſcunt verenda, & inde calculoſi fiunt, hæc vitia ſic emendantur, &c. Vel cicer album cum vino madefactum bibe.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Cicer aliud eſt album, alterum rubrũ & aliud nigrum,& harum ſpecierum, aliud ſilueſtre aliud domeſticum, ſilueſtre eſt magis acutum & amarum, & vehementioris calefactionis. Decoctio nigri, frangit lapidem in Renibus & veſica cũ oleo amygdalino & raphano & apio, & eſt malum vlceribus veſicę.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Cicer legumen eſt vrinam ciens. Decoctum ipſius calculos in Renibus atterit, maximè nigri.

Idem tetra 3. ſer. 3. Cicerum lapides ipſos in renibus confringunt,& atterunt iuſcula.

Paulus AEgineta li. 3. ca. 45.

Cæterùm in renibus quę calculos cõminuant atterant incidéntque vtendum medicamentis, cuius farinæ ſunt cicera nigra.

Idem li.1.ca.100.in epiſtola ad Anti-

gonem Regem. Lotia impellentibus opem ferre conuenit, qualia sunt cicerum maceratarum, aquam. Si cum vino potauerit idem consequetur.

Idem li. 1. Cicera cocta abstergunt, lapides comminuunt.

Cyperus, iuncus angulosus odoratus. Dioscorides li. 1. ca. 4.

Cyperi radix, calfacit, aperit, vrinam cit, bibitur contra calculos.

Gal. li. 7. De simpl. med. facultat.

Cyperi radices maximè vsui sunt, excalfacientes pariter exiccãtes, absque mordacitate. Quin & incidendi vim illi inesse testificandum, qua & calculos vexatis congruunt, & vrinã & menses prouocant.

Idem, De composit. medica. secundum locos. Cyperus mistas facultates habet.

Idem li. 3. De medicinis facilè parabilibus. Cyperi assiatici triti cochleariu m vnum ex vino meraco, aut ex melle exhibeto, periculum de ipso factum &c. Est ad vrinæ difficultates, & stillicidio.

Auicenna li.2.tract.2.

Cyperum extrahit lapidem, & frangit ipſum, & confert diſtillationi vrinæ, & debilitati veſicæ valdè, & frigori eius vehementer, & ſimiliter operatur in renibus.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Cyperus iuncus quadratus, radices illius in vſum veniunt calfacientes ac ſiccantes, citra mordacitatem: habẽt & vim quandam ſectoriã, qua & calculoſis proſunt, & vrinas & menſes cient.

Paulus AEgineta li.7.

Iuncus anguloſus calidus pariter & ſiccus, temperamento abſque erroſione, ineſt præterea cypero ſecandi quędã facultas qua lapillos atterit, & lotia ꝓplicit.

Cyminum ſilueſtre.

Dioſcorides li.3.ca.63.

Cymini ſilueſtris ſemen potũ, ſtillicidia, calculos, & ſanguinis grumos cõcretos, cũ vrina reddẽtibus ſuccurrit: Superbibend. tamen his eſt, elixum apij ſemẽ.

Gal.li.7. De ſimpl.medic.facult.

Cymino ſem. vtimur, eſt facultatis excalfaciẽtis, tum vrinam mouentis, & flatum excutientis.

Auicenna li.2.tract.2.

Cyminum maximè ſilueſtre frangit lapidem, & confert diſtillationi vrinę, & mictui ſanguinis.

Paulus AEgineta li.7.

Cyminum excalfacit ſecundum tertium ordinem, quadamtenus à temperamentis exceſſum, lotium prouocat, & flatum diſcutit. Ætius tetra.1. ſer. 1. eadē narrat.

Cotyledon ſeu acetabulum veneris.

Dioſcorides li.4. ca. 84.

Cotyledona frangūt calculos, etiam & vrinam ciēt folia cum radice ſumpta.

Gal.li.7. De ſimplic. medic. facult.

Cotyledon eſt facultatis miſtę, nempe humidæ & ſubfrigidæ, & cuiuſdā obſcurè adſtringentis, & cum ea leuiter amarę. Putantur folia cum radice mandu cata, calculos cōfringere, & vrinam mouere.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Cotyledon miſtam vim habet humidam & frigidam, & quandam obſcurè ſubaſtringentē & modicè amaram, vnde frigefacit, & repellit, & extergit, & excutit, creduntur folia cum radice comeſta,

lapides atterere, & vrinam ciere.

Paulus AEgineta li. 7.

Cotyledon est mistæ facultatis, refrigerentis, repercutientis, abstergentis, & distrahentis, folia cum radice comesta, lapides terere, & vrinam ciere, credũtur.

Cucumis satiuus.

Hyppocrates li. 2. De dieta.

Cucumeris semen per vrinas abiit quam per secessum, explet autem & crassefacit, caro secedit per aluum.

Idem in eodem li. Cucumeres crudi frigidi sunt, & ęgre concoctiles: maturi autem & pepones minguntur, & per aluum secedunt.

Idem li. De internis affectionibus. Cucumis, pepo, & vrinam cit aluo secedit, ac leuis, alter verò non pepo, frigiditatem exhibet, & sitim sedat, alimẽtum verò à neutro horum contingit, nisi tenuè quoddam, sed neque malum, neque memorabile, ipsum autem per se ipsum attenuat, magis quam reficit, nam per vrinam, & per secessum plus iusto expurgatur, vrinam cientia in ventre, & cito calefiũt, & calefacta marcescũt ac liquescunt, & ob citum secessum faciunt.

Dioſcorides lib.2.cap.124.

Cucumis ſatiuus bonam aluum facit, ſtomacho accommodatus eſt,refrigeratur,non corrumpitur in ſtomacho , licet ægrè concoquatur , veſicæ vtilis , habet ſemen ciendæ vrinæ mediocrem vim. Contra veſicæ exulcerationes , cum lacte,paſſo ve,idem vtiliter bibitur.

Gal.lib.6.de aliment.facultat.

Cucumeres quidem vrinam cient,& ipſo quodammodo pepones , ſed minus quam illi , quod ipſorum ſubſtantia eſt humida,ideoque non facilè vt illi in vẽtriculo corrumpuntur.Ergo cucumeres, qui belle concoquunt , cum eo ipſo fiſi, affatim ſeſe impleuerint,iis tandem longo temporis tractu accidat,vt ſuccus frigidus,ac mediocriter craſſus,in venis co aceruatur, qui in coctione,quæ fit in venis , haud facilè mutationem in probum ſanguinem recipiat , eam igitur cauſam, omnibus praui eduliis cenſeo abſtinendum , etiam ſi ea quibuſdam coctu ſunt facilia . Nobis enim non aduertentibus, prauus ſuccus qui ex ipſis , poſt longum tempus colligitur , qui poſtea exiguam ad putrefactionem occaſionem nactus,

febres malignas accendit.

Idem de bonitate ſuccorũ & vitio,ca.8. inter fructus cẽſemus cucumeres quoq; & pepones & melopepones, quorũ nullus ſuccus bonus inſit, eo quod aluũ ſtatim ſubeant,corrũpuntur ibi,humorémque ex corruptella hac, faciant, qui non longe,à mortiferis venenis abſit.

Idem in eodem libro cap.13. Semper enim ab iis abſtinẽdũ,qui mali ſucci ſunt, niſi ſi quando tamen neceſſe eſt æſtatis tẽpore,laborãtibus,corporis totius ſqualorẽ, calorémque curare &c. Quo tempore planè commodè ſumi prius poma poſſunt, quin & cucumeris, & peponis, & melopeponis,paululũ aſſumi poteſt.

Idem lib.8.de ſimpl.medic.facult.Cucumis eſculẽtus, peponi quidem hoc eſt maturus, tenuioris ſubſtãtiæ eſt, qui immaturus, craſſioris. Sed incidendi & abſtergẽdi facultas eis ineſt, quare & vrinã mouent,& corpus ſplendidum reddunt, ac magis quoque ſi quis ſemine arefacto,contuſo,atque cribrato, vice pulueris,abſterſorij vtatur.

Auicenna lib.2.tract.2.

Semen eſt melius & ſubtilius, ſedat

caliditatem & choleram, sed eius chinus est prauus præparatus ad putrefactionē, & excitās putrefactionem, & febres malas, in ipso sunt, prouocatio & lenificatio, & confert doloribus testiculorum, & est conueniens vesicæ.

AEtius tetra. 1. *ser.* 1.

Sicya seu cucumeres satiui, vrinam cient, velut etiam pepones: sed minus quam illi &c. Neque ita corrumpuntur in ventre, velut pepones. Quidam concoquunt familiaritate naturę ad ipsos, & vbi in hoc confisi secure eos ingesserunt. Ignorant, quod temporis progressu, biliosum & moderatè crassum succum ex ipsorum esu, in venis coaceruarunt, qui sanè succus putrescere inceperit, febres malignas inducit. Quapropter ab omnibus mali succi eduliis abstinere cōsultū esset, etiā si aliqui facilè ipsa concoquāt.

Paulus AEgineta lib. 1.

Cucumis minore frigiditate pepone prædita est, sed maiore ad promouēdum lotiū potestate, difficillis coctu, & si coaceruatur, vitiosum tamen succū corpori præbet, vno verbo omnes fructus quos profert autumnus, frigorifice & humen-

tis naturæ imbecillis alimenti, prauíque ſucci ſunt.

Idem li. 7. Cucumis qui edendo eſt, refrigerat & humectat in ſecundo,eis enim abſtergendi, & incidendi facultas ineſt,quocirca vrinas cit, & corpori venuſtatem,& nitorem conciliat.

Ferrandus data opera facultates cucumerum prolixius quam materia propoſita deſideret ſcripſit,quia quamplurimi homines,ęſtate & autumno vtuntur, ignorantes malitiam illorum ; ob id ſibi imperent & quantum poterunt,abſtineant.

Cubebe,Carpeſium, Cardamomum.

Dioſcorides li.1.ca.5.

Calfacit cum vino potũ, renum cum malo aliquo doloribus quos nephritin, Græci dicunt. Calculos præterea diſiicit cum lauri radicis cortice potum drachmę pondere.

Gal.li.7.De medic.ſimpl.facul.

Carpeſiũ ſimile eſt vocato, phu, hoc eſt valeriane, viſcerum obſtruct. detergit,vrinam mouet,renéſque calculis grauatos expurgat.

Idem li.3.De compoſit.medicamen-

torum ſecundum locos, quintus ſanè cũ cinamomi inopia eſſet, carpeſium pro ipſo iniicit duplo pondere, velut aliqui eius loco caſſiam.

Idem li. 2. in eodem. Prȩſtat autem & carpeſium pro azaro coniicere.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Carpeſius verus, eſt ſimilis rubeæ, veruntamen eſt ſubtilior, in ipſa eſt cũ caliditate, virtus infrigidatiua, eſt verè calida & ſicca, deueniens ad ſecundum &c. Mundificat vrinæ vias, & extrahit lapidem renum & veſicæ.

AEtius tetra. 1. ſer. 1.

Carpeſium ſimile eſt ei quod phu appellatur, & guſtu & viribus, verum amplius tenuium partium exiſtit, quapropter & magis quam illud abſterget. Viſcerum obturationes & vrinas mouet, & renes expurgat calculoſos.

Paulus AEgineta li. 7.

Carpeſium tenuitate partium, odoratum eſt, eámque ob cauſam viſcerum obturationes aperit, lotia promouet, renes purgatione à lapillis vindicat.

Damasonium, alisma, fistula pastoris, plantago aquatica, officinis herba siluana, vt Fuschio placet.

Gal. li. 8 De simpl. medic. facult.

Damasoniũ nos certè experti sumus, quod constitutos in renibus calculos, aqua, in qua decocta fuerit, pota, cõuenit: ex quo liquet quod abstersoriam quandam facultatem obtinet.

Idem libro De renum affectus. Nam calida vrinam prouocantia indurant lapidem, quę verò habẽt tepidam virtutẽ, cuiusmodi est Damasoniũ. Ter in eodẽ libello repetit.

Auic. lib. 2. tract. 2.

Calida est & sicca, forsitan in principio secundi expertus est Gal. quod succus eius, frangit lapidem in renibus.

AEtius tetra. 1. ser. 1.

Damasonij radicẽ experti sumus coctam in aqua, & aqua pota, calculos in renibus consistentes & coactos confringere.

Paulus AEgineta lib. 7.

Damasonium abstergentis est potentiæ, ac proinde calculos confringit, ventris tormina sanat, & lotia trahit.

Daucus.

Dioſcorides lib.3.cap.7.

Daucorum omnium ſemen, menſes, fœtus, & vrinas trahit.

Gal.li.10. De compoſitione medic. ſecundum locos.

Semen dauci in duabus pro calculis excludendis compoſitionibus addit. Idē li.9.ca.4.

Idem Gal.li.6. De med.ſimpl.facult. Semen dauci vrinam, & excalfaciendi vehementer facultatem habet, adeo vt inter prima efficax ſit vrinæ mouendæ medicamen.

Idem De arte curatiua ad Glauconem li.1.ca.14. Vrinam ciendi vim habet daucus.

Auicenna li.2.tract.2.

Daucus prouocat vrinam.

AEtius tetrab.3.ſer.3.

Multis enim ad lapidis eiectionem per vrinam hæc ſola ſuffecerunt, vt decoctum dauci.

Paulus AEgineta li. ca.66.

Sunt qui paſtinacam ſilueſtrem daucum nuncupant, quod multo vehementiore vi lotium promouet.

Eryngium, seu centum capita.

Fuschius in Dioscoridem ca. De eryngio li. 3. ca. 33.

Hodierni pharmacopolę saccharo pro instimulanda venerę radices eryngij parant.

Ferrandus decocto radicis illius pro irritanda vrina est vsus, & felicissimè.

Dioscorides in ca. de Eryngio.

Eryngium vrinam trahit.

Gal. li. 6. De compositione med. secundum locos. ca. 4.

Ad stomachi affectus, ex oleribus cruna conueniunt Eryngij radices & sparagi.

Idem li. 8. Ca. 8. Confectiones hepaticæ, ab Æsclepiade compositæ circa finem. Deinde verò mel & eryngium velut vrinam cientia his addita sunt, quæ extersę visceris affectionis per vrinas deductio fiat.

AEtius tetra. 3. ca. 149.

Renes purgantia incisoria vi prædita, Eryngij decoctum radicis auxiliatur potum, post remissum inflammationum vigorē, dissoluit enim tumores qui fieri parant, & lapides generari prohibent.

Idem ca.150. Veſicam purgantia, vrinas à veſica ducit eryngij radix. hæc non ſinit lapidis generationem in veſica fieri, & craſſities ac fæculentas ſubſidentias inſupérque ſcabioſas & affectiones vlceroſas ſanare ſolet.

Idem tetra.3.c.6 Dieta ne lapides renaſcãtur per plures autem dies, radicis eryngij decoctum bibant.

Idem in eodem, eadem ſcribit ca. 2. De oppilatione hepatis.

Idem tetra.1. ſer.1. Eryngium caliditate aut parum quid à temperatis, aut omnino nihil abſcedit, ſiccitatis autem tenuium partium non modicè particeps eſt, radix eius feruefacta, & ipſa aqua in potu ſumpta, colicos ſanat. Cum aqua mulſa feruefacta, calculoſos, vrinæ ſtillicidium, eiuſque emittendæ difficultatem, nephriticos curat. Bibendum eſt autem hoc decoctum, per dies ſexdecim ieiuniis, Item addormituris, affirmauit quiſpiam ſe aſſiduo eius vſu, calculos per lotium eiicere deſiiſſe, quũ antea frequentiſſimè, eo vitio diuexaretur.

Ferrandus, & cholericis paſſulas co-

rinthij,& ſi non ſint, damaſcenas exacinatas, in decocto addit. Item & ſplenicis cetrach ſe paruam ſcolopendram, vt vtríque & ſpleni & calculo ſatisfaciat.

Idem Ferrandus ſuis conſulit,cum in calculis excludendis, tum in iecoris obſtructionibus liberandis, & hydropicis, decocto radicis vti, quia ſine manifeſto calore operatur.

Dominus Fergonius,vir ſua doctrina illuſtratus, & a-ſecretis illuſtriſſimi & generoſiſſimi domini Montis penſerij &c.

Calculo affectus, inter omnia auxilia, longo & aſſiduo potu decocto radicis eryngij, & vnius menſis aſſiduè eſt vſus,cum in eduliis elixandis tum in potu, & loco ſimplicis aquæ vtebatur, & à tali ſolóque remedio,eſt à calculis omnino liberatus & perfectè integréque ſanatus.

Idem Ferrandus cuidam hydropico, conſuluit non alio potu vti, & liberatus eſt intra menſem.

Idẽ, honeſta matrona de la Cheurie, certo aſſerit quam plurimos hydropicos, & cachexicos,hoc ſolo remedio ſanaſſe.

Idem Ferrandus à ſerpigine & icteritia diuexatus, eſt vſus cum felici ſucceſſu.

Idem Ferrandus, Tempore veris conſulit ſparagorum eryngij vti pro bellario, additis oleo & aceto, ſuntque boni & ſuauis guſtus, ſtomacho admodum vtilis & gratus.

Fœniculus ſeu Marathrum.

Dioſcorides li. 3. ca. 75.

Comæ Fœniculi decoctum, vrinam ciere poteſt, renum cum vrinæ malo aliquo, doloribus & veſicę vitiis vtiliter bibitur.

Idem cap. 76. Fœniculus ſilueſtris, ſeu hippomarathrum, radix contra vrinæ ſtillicidia vtiliter bibitur. Pota radix & ſemen, veſicæ calculos frangunt.

Gal. li. 7. De ſimplic. medic. facultatibus.

Fœniculum tam valenter excalfacit, vt ex tertio excalfaciētium cenſeri promoreatur. Deſiccat verò non æquè, ſed quiſpiā ipſum in hoc primi eſſe ordinis poſuerit. Vrinas cit. Porrò eſt & alterū agreſte, quod præ magnitudine hippomarathrum nuncupant, potéſtque & calculos frangere.

Auicenna li.2.tract.2.

Siluestre Fœniculum, propriè frangit lapidem, & in terreno, & in fluuiali, est iuuamentum ad renes & ad vesicam. Et confert propriè quod est siluestre, distillationi vrinæ.

Paulus AEgineta li. 7.

Fœniculum tam potenter excalfacit, vt in tertio excalfacientium classe collocetur. In siccando verò, primum ordinem promoretur.cit vrinas.

Idem lib.1.cap.100.in epistola ad Antigonum Regem. Cum hæc apparuerint præsagia, odoratis lotia impellentibus, opem ferre conuenit. Sine periculo sunt, feniculi apiíque radices in vino albo macerandæ. *Fel.*

Dioscorides li.3. cap. 73.

Pro Calculo nihil. Verùm, Marcellus Virgilius & Fuschius in enarratione dicti capitis dicunt, in felle taurino potissimum & bubulo, quod Lapillus quidẽ reperitur, quem Galenus & Dioscorides prætererierunt, magni tamen iuuamenti, vt apud nonnullos legerunt authores, nam in puluerem redactus, & vino exhibitus, vesicæ calculos frangit.

Geniſta, Sparton.

Dioſcor.lib.4.cap.148.

Geniſtæ bibũtur flores ſeménque in mulſa aqua põdere obolorum quinque, purgãtia per ſuperna veratri modo ſine periculo. Solum ſemen idem per inferna purgat.

Galenus, Ætius, Paulus Ægineta, concedunt ad vſum prædictum.

Petrus Bayrus in ſua praxi lib.14.ca.2.

De his quæ præſeruãt, à lapide renum & veſicæ, eſt geniſta: quia ſemen geniſtæ mundificat renes ab omnibus ſuperfluitatibus, & non permittit materias in eis figi, neque in lapidem conuerti. doſis eſt ʒ ij. vel iij. cum aqua mellis roſacei, vel melle roſato. Idem in eodem lib. cap. 3. eadem ſcribit.

Ferrandus in ſua praxi, & calculi curatione, vtitur tũ flore tũ ſemine. Flore ſic.

℞ Florum alborum altheæ ℳ 1. florũ geniſtæ ℳ ß. ſem. aniſi ʒ. 1. iuſculi cicerũ rub. qrt. ij. butyri ſalis inexperti & mel. roſ. añ. ʒ. ß. miſce, fiat decoctio ad medietatis conſumptioné. colla. Capiat (purgatione præcedente) horis tribus ante paſtum, repetendo ſpatio trium dierum bis

in menſe,in prima & tertia lunæ quadris ſeu oppoſit. Sem.ſic.

℞ Seminis geniſtæ hiſpanice non carioſe ℥.1. ſem bardanæ ℥.ß. amygd.amarorum à corticibus repurgat. & pellibus abſterſorũ minutímque inciſorum ℥.1.ß. pul. ſacchari in aqua bethonicæ cocti qr̃t. 1. ß. fiat pul. capiat ſingulis aliis matut. ex cochleari ʒ. ij. & bibat deſuper mod. vini albi ex cochleari duntaxat.

Generoſus dominus Trouillaud(OEconomus illuſtriſſimi domini de Chaſteau roux)nephriticus,ſæpeque à calculo cum ſummo cruciatu diuexatus, talibus remediis eſt omnino liberatus infra duos menſes,& quibus conſuluit feliciſſimè ſucceſſit.

Gramen, Agroſtis, gallicè dent de chien. Dioſcor.li.4.ca.38.

Gramen prodeſt vrinæ anguſtiis,& lapidoſa veſicæ excrementa frangit.

Gal. lib. 6. de ſimpl.med.facult.

Gramẽ,conſtat radicẽ eſſe, tum frigidã tum ſiccã, porrò mordacitas & tenuitas, quæ radici ineſt,exigua eſt quidem. Sed interdum tamen lapides frangere aſſolet,ſi quis eam decoctam ebibat.

Idem li. De Carthaticis. Graminis decoctio purgat renes.

Auicenna lib.2. tract.2.

Graminis decoctio extrahit lapidem.

AEtius tetrab.1.ser.1.

Gramen seu agrostis, radix moderatè est frigida & sicca, mordacitas, & partium tenuium in radice modica inest, vt aliquando calculos conterere cognita sit, decoctum eius bibentes.

Paulus AEgineta li.7.

Graminis decoctum calculos atterit. Verùm de gramine quod in monte parnasso nascitur, scribit.

Gummi pruni vel Cerasiorum.

Dioscorides li.1. ca.145.

Frangendis vesicæ calculis, bibitur cum vino.

Gal.li.7. De med.simpl.facultat.

Gummi arboris pruni, sunt qui dicunt cum vino potum lapides confringere.

Auicenna li. 2. Ca. de prunis.

Et gummi eorum frangit lapidem vesicæ.

AEtius tetra.1.ser.1.

Gummi omnis pruni cum vino po-

tum lapides frangere quidem produnt.

AEgineta lib. 7.

Gummi pruni incidendi, & extenuandi potentia constat, quod cũ vino potum nonnulli calculos confringere perhibent.

Hirci sanguis.

Gal. lib. de Carthaticis.

Renum & vesicæ cænotica, lapides frangit sanguis hircorum.

Idem libro de renũ dignotione &c. Proinde si te ob latentem aliquã & propriam causam &c. oportebit propter vrgentem vehementiæ necessitatem, ad ea quæ veteres, obseruatione tradiderunt, & quæ à tota substantia operantur descendere, ea dico, quæ experimento, & exercitatione irrationali sunt reperta, quod genus sunt sanguis hircinus.

AEtius tetrab. 1. ser. 1.

Hircinum sanguinem quoque siccatum, & aliis ad hanc rem commodis ammixtum calculosis exhibent. Itaque decebit rure degenti, & aliis carenti auxiliis etiam hũc in vsum vertere: nam experientia periculis vacat.

Idem tetra. 3. ser. 3. ca. 12. Sanguis hir-

cinus, tum ad nephriticos, tum ad calculosos, pręsens remedium. Nam & præexiſtentes ſoluit, atque ita per lotium excerni facit, vt amplius alij non gignantur, præstereà dolores ſedat, &c. Vide ibi quomodo pręparatur & pharmacũ hoc, theu cheir. i. manus Dei, huius inquit, & nos philagrius, in breui tempore non aſpernandum periculum fecimus. Ego inquit hoc pharmacum, cum troglotyde paſſerculo permixtum, cuidam nihil lotij penitus eiicienti, poſt magnos dolores exhibui. Et permagnum lapidem attritum ab eo expuli.

Hypericum, mille perforata.

Hyppocrates li. 3. Epid. ca. 61.

Hyperico natura & vis, eſt vrinam ciere.

Gal. li. 8. De ſimplic. medic. facult.

Hypericum calfacit & deſiccat, eſſentia tenui, adeò vt & vrinas prouocet. Sed ad hæc totus ſumendus eſt fructus, non tantum ſemen.

Idem Gal. hypericum vires habet acriter ſtringentes. Potatum vrinam prouocat.

Auicenna li. 2. tract. 2.

Hypericum calidum in ſecundo, & ſiccum in fine eius prouocat vrinam.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Hypericum calfacit & ſiccat,ſubſtan tium partium habens,vt & vrinas prouocet,ad hæc,non ſolum ſemen, ſed etiam folium conducit.

Idē tetra.3.ſer.3.Multis enim ad lapidis deiectionem per vrinam hæc ſola ſuffecerunt,hyperici decoctū in potu datū.

Halicacabus, Solanum veſicarium alkekengi vulgo, gallicè baguenaudes, hæc Fuſchius. Dioſcorides li.4. ca. 66.

Halicacabon poteſt fructus eius ciendę vrinæ aptus miniſtrari.

Gal.lib.8.de ſimplic.medic.facultat.

Trychnon ſeu ſolanum,halicacabum dictum,in foliorum facultate hortēſi,ſolano ſimile eſt, fructum habens ciendæ vrinæ aptum,proinde pluribus facultatibus compoſitis, quæ ad iecur & veſicam & renes accommodantur.

Auicenna li.2.tract.2.

Alkekengi.i. ſolano halicacabo,natura frigida eſt & ſicca ad ſecundum perueniens. Cōfert vlceribus viarum vrinę.

Idem in eodem. Solanum ortense, frigidum est in primo, siccum in secundo, & stupefactiuum & frigidum in tertio, & sunt quinque species, semen stupefactiuum, prouocatiuum, vrinæ mundificatiuum renum & vesicæ, & est species solatri prȩter albrebrangi, & prȩter ortulanum, & præter stupefactiuum prædictum, cũ comeduntur ex eo aureos quatuor, interficiunt.

AEtius tetra.1.ser.1.

Solanum hortẽse frigidum est in primo, quod verò halicacabi appellatur, in foliorum facultate, simile est hortẽsi, verum fructus eius vrinam ciet.

Eadem Paulus Ægineta scribit.

Laurus.

Dioscorides li. 1.ca. 97.

Decocto lauri vesicæ vitia vtiliter insidentibus fouentur. Frangit calculos lauri radicis cortex, trium oboloruũ pondere, potus.

Gal.lib.6.de med.simplic.fac.

Lauri radicis cortex, calculos confringit, & Iecori prodest.

Auicenna li. 2. tract.2.

Decoctio foliorũ lauri, confert ȩgritudinibus

tudinibus

tudinibus vesicæ, adeo quod sedendo in ea, dolores mitigat. Et quando de cortice radicis eius bibitur, frangit lapidem, & grana eius etiam frangunt lapidem.

AEtius tetra.1.ser.1.

Daphne cortex radicis, lapides atterit, bibitur in vino odorato, pondere obolorum trium.

Idem tetra. 3. ser. 3. Cæterùm lapides ipsos in renibus confringunt & atterunt, radicis lauri cortex.

Paulus AEgineta li.3.ca. 45.

Cæterùm in renibus quæ calculos cõminuant, atterant, incidéntque vtendũ medicamentis est, non tamen calorificis, cuius farinæ sunt radicis lauri cortex.

Idem li.7. Cortex radicis lapillos cõminuit, si potetur in vino fragranti, triobolari pondere.

Lac.

Hippocrates li. 3. de morbis Vulgaribus.

Clonigus in abderis erat quidam nephriticus, huic quidem dabatur lac caprinũ, & aquæ quinta pars, ita vt ex ambobus essent heminæ tres. Bibit autem lac donec vrinæ restitutæ sunt.

Idem li. De ratione victus in morbis acutis. Verùm si ad hoc non aperiatur, lacte asinæ cocto purgabis. Gal. in commento dicti textus, medicamenta bilem purgantia timet, quod & acria & calida prorsus existent, ob id ad lac asinæ diuertit, vtpote quod nullam, vt non aliud vllum, habeat acrimoniã, sed præ omnibus vnum humiditate exuperet, ob id solum ventrem subeat. Prçcoquit autem ipsum ob flatus, sed sanè solo sero vti poteris.

Choleram purgantibus non vtendum quod medici hodierni non obseruant.

Gal. li. 6. De sanitate tuenda ca. 11.

Lac calculo affectis prohibendum, asinino dẽpto, quod cæteris est tenuius.

Idem de succorum bonitate & vitio, ac plurimus quidem apud nos est caprini lactis vsus, sicuti bubuli apud alias nationes, quin & frequenter ouillo vtimur, crassum hoc est, asinarum lacte ex aduerso hoc nomine pingue bubulum, in medio omnium caprinum &c.

Idem li. 3. ca. 9. De alimentorum facultatibus, pinguissimum itaque vt diximus lac bubulum, ouillum verò & caprillum, habent quidem & ipsius pinguedinis quidpiam, sed multo minus, asininũ, huius succi habet minimum, quocirca

in ventriculo cuiusquam rarò coagulatur, si statim vt è manus excidit, calidum epotum fuerit, quod si sal & mel adiiciantur, fieri non potest, vt ipsum in ventriculo concrescat, ac coaguletur, lac igitur quod seri habet plurimum, etiam si semper eo vtare, nihil penitus affert periculi. Quod verò huiusmodi habet humiditatem exiguam, caseosam autem multam, omnibus qui ipso vtuntur multum, est periculosum. Nam eos quidem renes offendet, qui calculis gignendis sunt appositi. Iecur item obstruet, his qui hoc affectu facile prehendi possunt.

Idem li. 10. methodi medendi. Ego verò, ac quod lactis genus vsui desit, ex vaccis crassum, ex asinis tenue.

Idem li.7.methodi medendi. Lac asininũ reliquis omnibus est vtilius ad propositum affectum, quippe quum tenuissimum sit & minimè coaguletur, & quoquo versus, ocyssimè in corpus digeritur.

Idem li.10 methodi medendi. Lac asininum est dandum, sed diligenter obseruato, ne in ventriculo cogatur, quod nobis inueniẽdum est paulatim, ad eius vsum accedentibus.

Idem li. De ratione victus in morbis acutis li. 4. ca. 4. Neque admirationi sit lactis copia, cum antiquis omnibus sit assuetum. Quod autem lac asinæ propter humiditatem exhibeant, supra est dictũ, atque amplius non coaguletur epotum, veluti crassa existentia..

Idem in eodem. Verùm dolor si non cessauerit lac asinæ bibendum dabis, vt purgetur. Gal. commen. 4. dictæ sententiæ. Si feceris quod dictum est, & dolor non soluatur, contristantis causę, maiorẽ esse acrimoniam existimandum, atque ob id corpus purgare oportet, lacte asinę præcipit, quod purgantia inter omnia medicamenta mitius tranquiliúsque existit, id quoque & lacte omni humidius est, & ventrem magis subducit.

Lac asinæ mitius purgat, cæteris aliis medic.

Auicenna lib. 1. fen. 3. doct. 4.

Lac nutrit & humectat, veruntamen quod ex eo meliùs est, est caprinũ & asininum, & ex proprietatibus asinini est quod non fit caseus & descendit cito, & præcipuè si fuerit cum eo sal & mel.

AEtius tetra. 1. ser. 1. ca. 261.

Lac modicum seri habens, & multum de caseo, non satis tuti vsus est, si

quis in eius vſu perſeueret. Nam lædit renes, qui alias ad calculorum generationem aptitudinem habét, & iocinoris obturationes facit his qui pati eas alias ſolent.

Idem &in eodé libro ca. 92. vtilitates autem lactis etiam veteris, medici recenſuerunt, ventris moderatam ſubductionem; ſucci bonitatem & alimoniam, & quod concoctum probè, carnem meliorem reddit, & mordaces ſuccos expurgat, vnde in vrinæ difficultate, & acri egeſtione alui, non ſolum bibere conducit, ſed etiam infernè per clyſterem infundere. Ad acres enim & mordaces fluxiones commodiſſimum eſt, non ſolum abluẽs ipſas de partibus infeſtatis, atque hoc per abſterſoriam humiditatem, quã in ſeroſa ſui parte complectitur, ſed etiã craſſitie ac pinguedine ſua, corporibus oblitum ac inductum, nõ ſinit in fluxum acrem, nudis ipſis allabi. Ad renum ac veſicæ eruptiones conuenientiſſimum eſt in potu &c.

Idem in eodem ca. 92. Omnis qui lac bibere volet, à reliquis cibis & potibus, abſtineat, donec concoctum ſit ac ſeceſ-

ſerit. Si enim antè eius coctionem, alium cibum quis ſumat, neceſſum eſt corrumpi ipſum lac, ſimúlque corrumpi & cibum qui ingeſtus eſt. Præſtat autem manere recens multum, & tunc plures labores detrahere, quiete ac ſenſim ambulare, & interim ceſſare, citra ſomni admiſſionem &c.

Idem ca. 94. Lac quod plurimum ſeri habet, periculo maximè vacat.

Idem tetra. 3. ſer. 3. ca. 18. De ſuppuratis renibus. Lac itaque cum melle, poſt puris eruptionem eis prębendum, & primum quidem aſininum, aut equinum ad vlcera repurganda enim conducit.

Paulus AEgineta li. 7.

Lac omnium temperatiſſimum eſt humanum, mox caprillum, deinde aſininum pariter & ouinum, poſtremò bubulum.

Idem li. 1. ca. 86. 87. & 89. Eadem ſcribit, quæ & Ætius notauit prædictis ſcriptis.

Lithoſpermon gallicè larmes de Iob. Alij larmes de noſtre dame. Moniales legunt ſemina, & pro patribus noſtris, ſeu patenoſtre, ſecum portant, filo compoſita.

Dioſcorides li.3. ca.150.

Lithoſpermon poteſt ſemen,in vino albo potum,veſicæ calculos frangere, & vrinam ciere.

Fuſchius in enarratione dicti ca. teſtaturis lapillis ſeu ſeminibus ʒ. pondere potis vino albo,calculos frangi,compelliq́ue conſtare,& ſtranguriam diſcutere, nec in alia herbarum fides eſt.

Auicenna li.2.tract.2.

Lithoſpermon eſt frigidum in ſecundo,humidum in primo.Frangit lapidem renum & veſicæ ,& eſt bonum ſolutioni ventris.

Paulus AEgineta li.7.

Lithoſpermō ſeu milium ſolis (quod negat Fuſchius)Semen eſt lapideū,quod cum vino albi coloris potum renum & veſicæ lapides diſſipat,& lotium prolicit.

Vide in litera p. Phalaris ſeu milium ſolis.

Lotus arbor gallicè aliſier.

Lotus herba,melilotus eſt.

Hyppo. lib. De natura mulierum.

Loto in cataplaſmate eſt vſus,& non

de arbore vt ſequentia docent.

Dioſcorides lib.4.cap.104.

Lotus ſiluestris, ſeu trifoliũ ſiluestre, gallicè melilot, teſtimonio Fuſchii in dicti capitis enarratione, bibitur etiam per ſe conciſa, aut cum maluæ ſemine in vino paſſóve, contra veſicæ dolores vtiliter. Igitur Hyppocrates illo ſilueſtri loto, ſeu melitoto eſt vſus.

Gal.li.5.methodi medendi.

Ad tabias in colle ſunt herbæ, quidẽ agroſtis & lotus &c.

Idem li.3. De ſimplic. medicament. facult. Lotus domeſtica quam quidem trifilum hoc eſt trifolium nominant, vt mediocriter vim abſtergẽdi poſſidet, ſic etiam exiccandi, in caliditatis frigiditatíſque coniugatione media quodammodo eſt & temperata.

AEtius tetra.1.ſer.1.

Lotus trifolium moderatè extergendi vim habet, itémque ſiccandi, verum in coniugatione caliditatis & frigiditatis, temperatus eſt.

Idem in eodem, trifolium aſphation è bituminis odore appellant, eſtque calidæ & ſiccę facultatis in tertio ordine ve-

luti bitumen,& propterea,potum laterũ dolores ex obturatione obortas ſedat,ac vrinam ciet.

Malua.

Dioſcorides li.2. ca.107.

Malua hortẽſis quam ſilueſtris edendo eſt,ipſa verò inteſtinis & veſicę vtilis. Semen pręterea eius, admiſto ſemine ſilueſtris loti,invino potum,dolores veſicę lenit.

Gal. De compoſit.medic.ſecundum locos.

Ad veſicæ affectus & vlcerationes, Paſtillum quo vſus eſt deſcribit, in quo ſeminis maluæ ſilueſtris ʒ.iij.addit.

Idem li. De aliment. facultatibus ca. 42. Malua calorem habet quẽdam moderatum tepidum. Cęterùm hoc olus facilè ſubducitur, non modo propter humiditatem,verumetiam propter lentorem,& potiſſimum quando quis cum oleo & garo,copioſè ipſam ſumpſerit. Nutrit autem ipſa mediocriter, nam ſi horũ trium olerum ſuccum compara159ris, betæ quidem eſt tenuium partium, tergendíque facultate eſt præditus,Malue autem craſſus eſt ac lentus. Lactucæ inter vtrúmque eſt medius, verum obſtructum

hepar, beta magis quàm malua aperit.

Idem li.8. methodi medendi, plurimum vtile in se continens maluam brassicam betam & lactucam.

Idem libro de Melancholia, ex Galeno, Ruffo & Possidonio. Post autem omnes alui subductiones, maluæ semen valdè lenigatum, ex aquæ cyathis tribus, dandum est ʒ. duarum pondere, summopere ad rem facit, quamobrem eo frequenter vtendum est.

Auicenna li.2. tract. 2. Ca. de cubeze. i. malua siluestris, & malachia. i. malua domestica.

Malua domestica est mala stomacho, & in ipsa est apertio oppilationum hepatis, flos eius confert vlceribus renum & vesicæ bibitum, & linitum cum oleo, & rami domesticæ conferunt, intestinis & vesicæ leniendo naturam, & doloribus earũ quando bibetur aqua eorum, & ex ea fit syrupus.

Ætius & Ægineta in ca. altheæ, sunt de maluæ viribus concordes.

Mel.

Gal. li.3. ca.39. De aliment. facultat.

Mel plenè coctum vrinam mouet,

minus eo quod cum aqua eſt elixum, ciet &c. Senibus autem ac in vniuerſum frigidi temperamenti corporibus, mel eſſe accommodum: ætate autem floren tibus & calidis, in bilem verti.

Idem De ſimplicium medic. facult. mel vrinas cit, mel canne, ſeu in harundinibus, concretione ſua ſali ſimile, exulceratæ veſicæ & renibus prodeſt.

Idem li. 3. ca. 17. De cõpoſitione medic. ſecund. locos. Olerum ſtomacho dicatorum mixtura mellis humiditates per vrinas educunt.

Idem in eodem li. ca. 9. Deinde verò mel & eryngium velut vrinam cientia addita ſunt, quo extenſo viſceris affectionis, per vrinas deductio fiat.

Auicenna lib. 2. tract. 2.

Mellis virtus eſt abſterſiua, aperitiua, orificium venarum reſolutiua humiditatum, & attrahit humiditates ex profundo corporis, & prohibet putrefactionem & corruptionem carnis, & mel cuius ſpuma non eſt eiecta inflat & ſoluit võtrem, & ſi auferatur ſpuma ipſius, minoratur illud, & decoctum cum aqua prouocat vrinam plurimum.

AEtius tetrab.1.ser.1.

Mel diximus quod exterget, hæc ita extersoria vis, si ipsi adiuuatur, magis ad vrinam ciendam commodum reddes, itémque ad alimenti distributionem ac nutritionem accommodatiùs, adimi autem potest aqua plurima admixta & cocto melle, donec spumare desierit, ita vt assiduè spuma offeratur. Senibus & frigidis temperaturis mel commodum est, verùm in ætate vigēte constitutis ac calidis, in bilem transit ante coctionem.

Phalaris seu milium solis.

Dioscorides lib.3. cap.151.

Phalaris semen habet milii magnitudine, candidum & oblongum, potest tusæ herbę succus mox in vino aquáve potus, dolores vesicæ lenire. Quinetiam semen pondere cochlearis, cum aqua potum, ad eadem facit.

Fuschius in enarratione dicti capitis de phalaride dicit, milium solis esse, galicè gremil.

Gal.li.8.de simplic.med.facultat.

Phalaridis herbę tum succus, tum folia, tum semen vtiliter potari creduntur, ad vesicæ dolores, seu in sese habeant te-

nuè quiddam & calidum &c. vide in litera L Lithospermon.

Paliurus, agrifolium.

Dioscorides li.1.ca.12.

Paliurus, vesicæ calculos frangit, potúmque eorum decoctum vrinam trahit. Vide Marcelli vergilij & Fuschij enarrationes in paliurum.

Ruellius li. 1. De natura stirpium ca. 107. Aubepinum hoc est albam spinam galli nominant &c. Fructus vulgus senellas vocat, duro intus officulo, quo deturbandis calculis, & ciendæ vrinę vtuntur.

Gal. li 9. De simpl. med. facultat.

Fructus paliuri tantam obtinent vim incidendi, vt & calculos vesicæ comminuat, & pectoris pulmonísque excretionibus auxilietur.

AEtius tetra.1.ser.1.

Paliuri fructus incisoriè facultatis est, vt vesicæ calculos, & confringat & expurget, & reiectionibus ex pectore & pulmone auxilietur.

Raphanus.

Antonius mizaldus cent.8.apho.96.

Raphani in salis cumulos & salinas proiecti vel consepulti, in aquam salsu-

ginem maſſam totam, deliqueſcere ac reſolui cogunt, ex quo multi aduerſus calculum, & tophos arenaceos in corpore concretos, aquam ex corticibus, vel ex toto corpore raphanorum, expreſſam cum vino albo & puluere terebinthinæ, ex aduſtione, vel reſiccatione ad ſolem, ſalubriter & ſucceſſu admodũ felici exhibent. Res probata & nullo auro æquiparanda.

Ferrandus probauit in patrono de Mazieres, qui ſecundo potu, in balnei exitu, Lapillos vna cum ſanguine excluſit, & ſanatus eſt. Aromatarius Mathurinus de meyre, meo iuſſu & ſcriptis, miniſtrauit.

Raphanus.

Hyppocrates li. 1. De dieta.

Raphanus ſeu radicula humectat, pituitam diffundens ſua acrimonia. Folia minus proſunt, præterquam ad articularem morbum, radix vitioſa eſt, innatans ac ægrè concoctilis.

Rumex.

Dioſcorides li. 2. ca. 105.

Radices lapathi in vino decoctæ, calculos in veſicis frangunt.

AEtius tetra.1.ser.1.

Lapathum modicè discussoriam vim, & sane caliditatis particeps est, radix eius renum calculos confringit, & scabiem ac corporis asperitates ex aceto cocta, & affricta.

Ferrandus pro scabie est in multis expertus.

Ruta.

Dioscorides lib.3.cap.49.

Ruta datur contra vrinæ incontinẽtiam, bibend. agrestis semen, finietúrque post septimum diem malum.

Gal.lib. 2. de aliment. facult.

Traditum à plerísque medicis est, hominem à pharmacis lethalibus, nihil magnopere lęsum iri, si nuces & auellanas, cum Rutha sumpserit.

Idem li. 8. De simplic. medic. facultatibus. Moly, hoc quidam vocant peganon agrion, hoc est rutam siluestrem, radices habet nigras, vis eius tenuium partium est, & calida tertio ordine, vnde crassos & viscosos humores dissecat ac digerit, & vrinam mouet.

Idem alibi in eodem libro eadem declarat.

AEtius tetra. 1. ser. 1.

Peganon seu ruta siluestris, quarti ordinis est excalfacientium ac siccantium, satiua tertij ordinis, éstque non solum acris, sed & amara, vnde & vim secandi & discutiendi crassos & viscosos humores habet, & per vrinas euacuat. Siluestris rutæ vis ignea & vlceratoria maximè vesicæ, auxiliatur & difficultati vrinæ cocta ex oleo, indéque vesica fota neque est aliud medicamentum quod huic hac parte prætuleris.

Smyrnium, apium macedonicum.

Dioscorides li. 3. ca. 73.

Smyrnij radix pota, angustiis vrinæ medetur, renibus & vesicæ prodest, smyrnij semen.

Gal. lib. 2. de aliment. facultat.

Smyrnium vrinas mouet valentius, quam apium, equapium & syon. Romæ maxima smyrnij copia venditur, & Romæ vulgò omnes homines olus id, non smyrnium, sed olus atrum nominant.

Idem de attenuante victus ratione, Smyrnium viride, priusquam exiccetur manditur, exiccatũ verò nõ amplius mãditur, nec est cibus, sed medicamentum.

Idem

Idem li.5. De simplic.medic.facultat. Nempe cum plurimam mouere vrinam annitimur, nonamodum dictis vtendū, sed quæ acriora sunt: eius generis est semen smyrnij.

Idem in eodem li. 9. Smyrnium non multum a petroselini viribus abest. Semen cuius affatim vrinas prouocat, sic Smyrnium.

Auicenna lib. 2. tract. 2. ca. 56.

De apio. i. Smyrnio, sunt quatuor species. Smyrnium montanum prouocat vrinas, purgat renes & vesicam, frangit lapidem. Romanum bonum est vesicæ & renibus. Ætius & Ægineta eadem scribunt.

Sisymbrium.

Dioscorides li. 2. ca. 117.

Vires calfaciendi habet. Facit sisymbrij semen ad vesicæ stillicidia, & calculos in vino potum.

Scorpius.

Gal. li. De theriaca ad Pisonem.

Scorpius si assatus cum pane comedatur, calculos in vesica rumpit.

Ioannes Mathæus à gradi in nonum ad Almansorem Ca. De ægritudinum Renum & Vesicæ.

Cinis de ſcorpionibus hoc modo fit. Scorpiones in ollam nouam poſitos, habentem opilatum ſuper laterculum, in furno mittãtur, in quo non ſit nimius calor, neque vehemens, & ſint ſpatio ſex horarum, & fiat pul. quem vſui ſeruabis pro calculis excludendis.

Antonius Mizaldus in cent. 2. aphoriſ. 41.

Oleum de ſcorpionibus, calculos educit, glande illitum.

Ioannes Matthæus à gradi &c.

Oleum ſcorpionum ſic fit. ℞ Ariſtologiæ, Gentianæ cyperi, cortic. Radicis capparis añ. ℥. i. Hæc omnia in vna libra olei amygdalorum amarorum poſita ad ſolem per ebdomadam vnam dimittentur, & collentur, & pro vna libra pone ſcorpiones decem. Et totum in vaſe cuius os opilatum fuerit, miſſum ad ſolem ſpatio ſexdecim dierum, deinde colatum reponatur, & eſt mirabile, à balneo in virgam iaculetur.

Sion, ſeu lauer, vel Berula, gallicè berle, hæc Fuſchius in Dioſcoridem li.2. cap.120.

Dioſcorides li.2. ca. 116.

Sion ſunt qui aquaticum anagallidē, qui aromaticum. i. odoratum iuncum, qui daren, & qui lauer appellent. Folia cruda pariter cocta, in cibo ſumpta, frangunt & excernunt veſicæ calculos, & vrinas ducunt.

Gal. li. 8. De facult. medic. ſimplic.

Sion quantum guſtu, quoquo modo odoratum eſt, tantum etiam excalfacientis facultatis particeps eſt. Sed & digerit & vrinam mouet, & calculos renum frangit.

Idem Gal. li. 9. De compoſit. medic. ſecundum locos. Sion quod lauer latini dicunt, coctum propina, etiam edēdum exhibe, ſumme facit ad nephriticos.

Aëtius tetra. 1. ſer. 1.

Sion in quantum aromaticum ſaporem habet, in tantum ſiccantis & calfacientis facultatis particeps eſt, ſed & digerit, & vrinam mouet, & calculos renū frangit.

Paulus AEgineta li. 7.

Sion excalfacientis eſt potentiæ, vrinas mouet, diſtrahit, calculos in renibus confringit.

Tribulus aquaticus. Fuſchius chaſtaignes d'eau, vocat.

Dioſcor. li. 4. ca. 16.

Tribulus potus, renum calculos cõterit.

Troglotydes, ſeu alanda, vel Corydos.

Dioſcorides nihil, ſed Fuſchius in enarratione ca. 44. li. 3.

Sententia Luſitani, aſſerit troglotydem veſicę calculos veſicę laborantibus vnicè prodeſſe.

Gal. De renum affectus dignot. & curat.

Ea dico, quæ experimento & exercitatione irrationali ſunt reperta, quod genus ſunt troglotydes.

AEtius tetrab. 1. ſer. 1.

Corydallus græcis appellatur, & latinis gallerita, pro colicis, ius commendat.

Paulus AEgineta li. 7.

Troglotydes paſſer eſt, omnium auium, dempto regulo, minima, degens frequenter in ſepibus. Is tum aſſus, tum cru-

dus, ſale conditus, atque comeſtus, calculos renũ confringit. Cinis ipſius deuſti potus eadem deſignat.

Idem Paulus li.3.ca. 45. Troglotydes autem præcipui honoris inter remedia calculi cenſetur. Eſt autem paſſerculus auicularum omnium minimus, ſolo baſilico appellato minor exiſtit &c. colore &c. vide ibi deſcriptionem.

Ferrandus, non eſt cauda tremula, ſeu moticella. Verùm eſt gadilla, gallicè cendrille. Quia deſcriptio à Paulo Ægineta ſignata competit omnibus numeris gadille. Item & vires competunt, vti dominus ab Altoclarus, alias Couillaud, vir certè ſuis temporibus ſtudioſus, tum cũ illo expertus, & cinerem decocto florum alborum altheę miſcebamus. Vnde magna lapillorum quãtitas excludebãt, qui tali potu vtebantur.

Techoliton lapis, ſeu Syriacus vel Iudaicus.

AEtius tetrab.1.ſer.1.

Iudaicus lapis confringit calculos in renibus natos, dilutus in cotte, &ex aqua calida potus. Verùm in veſicæ lapidibus, nihil eximij præſtat, Nechepſon tradit

hæc verba, techoliton lapidem cum aqua terito, ad sordium strigmentitiorum tenuium crassitiem, & derasis circa pubem pillis, illinito, & confringet ac lique faciet calculos in vesica, vnde & cantilena orta est.

Salue pelagus arabiæ,
Cladum medelam proferens,
Insigniter techoliton.

Gal. 18. De composit. medic. secundum locos.

Compositio ad calculos, qua Bassa vxor Marij curata est, ita vt rursus non gignantur.

℞ Cassiæ ʒ. ij. apii ʒ. iij. thuris ʒ. iij. lapidis syriaci feminæ pro femina, vel masculo pro masculo ʒ. i. se. pastinacæ anisi añ. ʒ. ij. styracis iridis illyricę ʒ. iij. se. papaueris albi & spicę nardi añ. ʒ. ij. amygdal. amararum mundatarum assari vtriusque ʒ. iij. seminis smyrnii cyperi añ. ʒ. ij. mellis attici quod satis est, dato quotidie.

Idem in eodem. Antidotus ex lapidibus, vt metridates facit nephriticis, & ad vesicæ affectus, atterit calculos, & tophos dissoluit, recipit lapides syriaci semunciam.

Idem De renum affectus dignotione & curatione ca. 8. Potenter verò diuidunt lapidē lapis Iudaicus. Et ſi calculus in renibus fixus eſt maſculo, Si in veſica hæreat, & ob magnitudinē haud poſſit, femineo lapide vtaris. Nam maſculus lapidem qui in renibus eſt, femineus, qui in veſica frangunt.

Idem li. Secretorum. Quod autem dicunt omnes homines De lapide Iudaico, iam expertus ſum & non inueni, in lapide veſicæ operationem, verum in lapide renum eſt fortis, & valdè mirabilis operationis. Et ipſe quidem eſt lapis valdè albi coloris, in quo ſunt fila nigra, qui lapis inuenitur in paleſtina. Modus dandi ipſum in potu eſt, vt fricetur ſuper cottem viridem, donec ex eo reſoluatur aliquid, deinde aggregetur limatura illa & abluatur, & detur in potu cum aqua calida.

Auicenna li. 2. tract. 2. ca. 402.

Lapis Iudaicus debilitat ſtomachum, & non competit ei, & deiicit appetitum. Confert lapidi renum, & extrahit ipſum, & potio eius ſit decem anula ſat cum aqua calida &c.

AEtius tetra.1.ser.1.

Est & alius lapis fortis facultatis, in Syria palestinæ nascens, colore, albus, figura concinnus lineas habens, velut à torno exculptas, appellatur iudaicus & techolitos &c.

Paulus AEgineta li.7.

Iaspis & iudaicus, iaspis subuiridis est, quum potentiorem habet facultatem, Iudaicus appellatur, renum calculos dissipat, qua de re recentiores eum tricholiton nuncupant.

Vermes terreni, seu intestina terræ.

Dioscorides li.2. ca.59.

Vermes terreni, vrinam trahunt triti & cum passo poti.

Gal.li.11. De simpl. medic. facult.

Intestina terræ mulso pota, medicamen mouendæ vrinæ idoneum.

Auicenna li.2, ca.202.

Vermis terrenus teritur multum, & datur ad bibendum cum vino, & prouocat vrinam, & confert lapidi illud etiam.

AEtius.

Terræ intestina pota, numero quinque aut septem cum passo, vrinam cient &c. Septem autem trita, & vino mulso

ad plures dies pota, calculos in veſica confringunt, & paulatim emingere faciunt.

Vitrum.

Gal.li. 9 De ſimplic. med. facult.

Ophites lapis, vſtus, extergendi, confringendíque vim poſſidet ceu etiam vitrum, admodum enim ipſum ex vino albo, ac tenui epotum, lapides veſicæ conterit atque confringit.

Idem lib. 5. de ſimplic. medic. facultat. cap. 13. At quæ minus ſunt calida, cum hoc quod incidere valeāt, meliora quoque ſunt, veluti vitrum vſtum.

Idem de renum affectus dignotione & curatione cap. 8. potenter diuidit lapidem vitrum combuſtum.

Auicenna lib. 2. tract. 2.

Vitrum inter lapides, eſt ſicut ſtultus inter homines. Calidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo. Quod ex eo tritum eſt, & aduſtum confert valdè lapidi veſicæ, & renum cum bibitur cum vino.

AEtius tetra. 1. ſer. 1.

Vitrum tenuiſſimè tritum, ex vino albo tenui potum, veſicæ calculos potenter confringit.

Paulus AEgineta li.7.

Hyalos seu vitrum in pollinem friatum, cum vino tenui candidóque sumptum, calculos vesicæ frangere perhibetur.

Antonius Mizaldus cent.6.aphor.97.

Pul. vitri Abenzoare in hunc modũ fit. Frustum vitri cristallini dẽsum & perspicuum, terebinthina resina illinitur, & prunis imponitur donec incandescat, aqua extinctum, iterum illinitur, excoquitur & restinguitur, vbi id septies iteratum erit, in puluerem subtilissimum atteritur. Ex eo pondus auri, ex vino albo, calculos efficaciter comminuit.

Vrtica.

Galeno li. ascriptus de cura lapidis.

Vtatur cibario facto, ex olere vrticæ, cum carne hœdi, quod sumat in principio suæ comestionis.

Ferè omnes practici in hanc sententiã descendunt.

Vitium lachryma.

Antonius Mizaldus cent.8.

Vitium lachryma, quæ velut gummi in caudicibus earum concrescit, ex vino albo pota, renum calculos mirè dissoluit.

Composita lapidem frangentia, ex Mesues Monumentis.

Dyasulfur.
Pilulæ agregatiuæ maiores.
Oleum de piperibus.
Oleum de scorpionibus.
Iustinum Nicolai.
Philanthropos.
Lithontripon Nicolai.
Nephricatarticon Nicolai.
Aqua mellis.
Syrupus de radicibus.

Vesicæ vlcerationi conferunt.

Oxymel simplex.
Trocisci Albrebrangi.

Vesicæ lapidem frangunt.

Dyalacca maior.
Dyalacca minor.
Oleum de nucleis cerasorum.
Oleum de granis citranguli.
Oleum de scorpionibus.
Oleum philosophorum.
Filanthropos Nicolai.
Metridatum.
Compositio de scorpionibus, cognita ad renes & vesicam.

Medicamē factum cum ſanguine quod dicitur Manus Dei, ſagzenea.

Medicamen theſauriſatum dictum, factum ex oleo balſami & eſt mirabile.

Athanaſia.

Theriaca que non eſt antiqua.

Antonius Mizaldus cent. 1. aphoriſ. 31.

Si componantur trociſci, ex puluere ſelecti olibani, cum hircino ſanguine, & ſiccati ſoluantur in vino albo, quod à ieiuno bibatur, mirabilem effectum habebunt, aduerſus renum & veſicę calculos. Ex Andrea Cordubenſi, ad ſummū pontificem Gregorium. Et ex Alberto, re & nomine magno.

FINIS.

De generum et ai[illegible]
articulo [illegible]

Descriptio fontium
[illegible]

Bona [illegible]
[illegible]

Sanitatis [illegible]
[illegible]

De [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

De [illegible]
[illegible]
[illegible]

De [illegible]
[illegible]
Tractatus